



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 9011888X

Liber CC.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67406)

CIX.



Sæc. XVII.
A. C. 1641.

HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
CONTINUATÆ.
LIBER CC.

URBAN. VIII. PONTIF. MAXIMUS.
ET FERDIN. III. OCCID. IMP.



§. I.

*Palatinatus Superior a Bannerio de-
vastatus.*

Vix Cæsarei in hyberna recesserant, cum Bannerius Sueci exercitus Ductor reparatis apud Luneburgicos viribus, ac Turingiæ & Misniæ spoliis ditatus, adolescente Januario per Voithlandiam in Palatinatum Superiorem inopina vi irrumperet. Præmiserat in Frauciam Tubadellum, qui Bambergam, & Hersbrucopotus, prædas & terrorem undique circumtulit: Prima hæc adspirantis fortunæ auspicia Bannerium accenderant, ut latius in Palatinatum arma protenderet, atque expilato Waldsasso, direptisque Nobilium ac Religiosorum

Ff 2

domi-

STO-

Sæc. XVII. domiciliis multos in captivitate ab-
A. C. 1641. duceret; promotis postea castris Cham-
 bum, Furthum & Glatoviam & fines
 Bohemiæ, Neoburgum ad Sylvam,
 aliaque loca minus custodita subegit.
 Haud parum promoverat rapidum victo-
 riæ cursum Danubius densa glacie con-
 strictus; hujus enim beneficio Bannerio
 copias suas in adversam ripam tra-
 jicere, indeque in citimam Bavariam,
 necnon in Bohemiam excurrere, in-
 tegrum erat: Præterea Cæsarei, Ba-
 varique militis absentia, & pacis con-
 silia cum Suecis agitata Bannerium ab
 hostilis motus formidine adeo liberum
 tenebant, ut impune omnia cædibus,
 rapinis & direptionibus misceret, ter-
 roremque longe lateque ad ipsa usque
 Ratisbonensis Urbis mcenia grassabun-
 dus effunderet, eo sine, ut Imperato-
 rem, omnemque Aulam & Imperii Or-
 dines ibidem in comitiis congregatos
 aut cum dedecore illinc exturbaret,
 aut diutius morari ausos, inermesque,
 audito nullis sæculis exemplo captivos
 in triumphum abstraheret. Verum
 Piccolomineus Dux Cæsarei exercitus
 Polemarchus accitis Bavaris Caspari
 Mercii copiis Slangium Suecici Equi-
 tatus Præfectum non procul Neoburgo
 ad Sylvam Bohemicam adortus, cum
 fugam pararet, undique cinctum ad
 dedi-

deditionem coegit; unde Marchio Dur-
 lacensis, ipse Slangius, Birckenfel-
 dius unacum uxore & liberis, Kins-
 kius pluresque alii Tribuni & octingenti
 Equites, peditesque ducenti die vige-
 sima prima Martii a Cæsareis capti velut
 in triumphum Ratisbonam ad Cæsa-
 rem, Ptincipesque, quibus antea in-
 sultabant, missi sunt; eodem vero tem-
 pore Gelenus cum copiis suis e Sile-
 sia & Bohemia eductis Suecorum
 tergo imminens, Chambium petebat:
 unde Bannerius haud dubie cum toto
 exercitu deleri potuisset, nisi aut iti-
 nerum difficultas, aut Ductorum cau-
 tatio hosti in Misniam elabendi spa-
 tium concessisset.

§. II.

Varia Suecorum clades in Saxonia.

Quantumvis Bannerius exercitum
 suum nupera clade obtritum ad-
 junctis sibi Vinariensibus, aliisque co-
 piis reparare intentus esset, Cæsarei
 tamen Bavarique, ductore Leopoldo
 Archiduce, fugientis vestigia tanta ce-
 leritate presserunt, ut per undecim dies
 hostilis Equitatus ne ullum quidem
 respirandi spatium haberet: inde vero
 accidit, ut Bannerius amissis jumento-
 ram, militumque non paucis ægre ad

Loccen. Hist.
Suec. l. 9.
pag. 714.
Pufendorff.
rer. Suec.
lib. 13.
Brachel. l. 6.
pag. 290.

Sæc. XVII. Salam fluvium inter continuas velitationes pertingeret: trajecto autem hoc flumine, cujus pontes in hostium potestate erant, Galli Vinariensibus juncti Cæsareos adoriuntur, ruptoque ponte quosdam demergunt, alios vero trucidant: Sinister hic successus Cæsareos minime deterruit, quominus superato ad Berneburgum amne Bannerianos partim Halam, partim Merseburgum retunderent, multisque Suecorum trucidatis, captisque Bannerium Merseburgo ejectum, Halberstadium usque propellerent, ubi etiam morbo ex vinolentia contracto die vigesima Maij, successore sibi electo Leonardo Torstensonio, vivere & furere desit: ita Suecicum hunc Heroem vinum Hungaricum in mensa perdidit, cui toties Mars in castris pepercerat. Eodem die Cæsarei non sine luculenta Suecorum clade, & opima præda Quedlinburgum occuparunt, & Gallo-Vinarienses, Suecosque prope Halberstadium iterata strage protriverunt. Cum igitur Suecorum exercitus crebris ejusmodi claudibus rarefcere inciperet, Saxonix Elector animo erectus eosdem e variis Saxonix locis exturbavit, Leopoldus vero Archidux Zwickaviam urbem ad deditionem compulit. Minus fausta erat Hotenvillanæ urbis, ac Guelpherbyta-

bytanæ arcis obsidio, quarum utram-^{Sæc. XVII.}
 que Cæsareo - Bavari partim ob invi-^{A. C. 1641.}
 ctam obsessorum repugnantiam, partim
 ob tempestatis injurias post anceps
 prælium, & Suecorum copias iterato
 fufas solvere cogebantur: Profuit ta-
 men Leopoldo Archiduci discordia Sue-
 cos inter & Luneburgicos exorta; in-
 de enim occasionem nactus, Ostervi-
 cum, Horneburgam, Scldam, Leben-
 burgum, Dorstenam, aliasque West-
 phaliæ urbes Suecis eripuit, parique
 felicitate Hatzfeldius Comes cæso Gal-
 lo-Vinariensi Præfecto nomine Rosa,
 Duderstadium & Mulhusium in Cæsa-
 ris obsequium reduxit.

§. III.

*Fœdus Gallos inter & Suecos fir-
 matum.*

Seditio contra Hispaniæ Regem a Ca-^{Bougeant}
 talonis & Lusitanis mota, ingens ^{Hist. bell.}
 Franciæ Regi calcar addidit, ut col-^{p. 1. l. 6.}
 lapsas Suecorum res totis viribus re-^{Hist. du}
 stauraret, spe fretus, quod Cæsare ^{Card. Richel.}
 trans Rhenum a Suecis oppresso, & ^{l. 6. cap. 64.}
 Hispaniarum Rege subditorum defe-^{Recueil des}
 ctionibus debilitato Imperium sibi vecti-^{Trait. p. 93.}
 gal reddere, Regnum vero suum Hi-
 spanæ Provinciæ accessione protendere
 posset. Hunc in finem die prima Junii

Ff 4

erecto

Sæc. XVII, erecto fœdere Lusitanis viginti belli
A. C. 1641, navigia, & Catalonis validum agmen
 submiserat, cum Suecis vero armorum
 societatem tam diu agitatam tandem
 ad finem perducere, totis viribus ad-
 laborabat. Nec artibus, nec labori
 parcebat Avoxius Comes Franciæ Re-
 gis Orator, ut Salvium Sueciæ Orato-
 rem ad firmandum fœdus induceret:
 negotii tamen successum retardabant
 varia subinde exorta dissidia: nec pa-
 rum oberat injuria a Sueciæ Senatu
 Rorteo Franciæ Legato Holmiæ illata;
 cum enim hic in suo Palatio Sacellum,
 ad quod Catholici confluerent, habe-
 ret, Sueciæ Administratores hoc jure
 Legatum privare ausi sunt, caussati,
 quod hoc privilegio excidisset, eo quod
 ipsius Confessarius Schmalcium, quem
 Sueciæ Regina ante triennium in Gal-
 lias ablegaverat, a Lutheri secta ad
 Catholicam fidem reduxisset. Tam
 enorme erat apud Suecos hoc crimen,
 ut illud ipsemet Legatus amisso jure
 omnium Nationum Legatis communi,
 Schmalcius vero adempta conscientiæ
 corporisque libertate eluere cogeren-
 tur, quamvis hic idem postea e car-
 cere in Germaniam feliciter delatus
 sua Cæsari obsequia addixerit. Inde
 vero crebræ Suecorum querelæ contra
 Gallos, & retardandi fœderis obten-
 tus,

tus, donec tandem pacta anno hujus Sæc. XVII.
A. C. 1641.
 sæculi trigesimo octavo inter Franciæ Regem, & Sueciæ Reginam Hamburgi inita, ibidem die trigesima Junii hoc anno utrinque fuissent firmata, his concepta Articulis. I. Catholici per Germaniam imprimis Ecclesiastici suæ Religionis Exercitio, suisque bonis ac redditibus ex constanti priorum foederum tenore absque impedimento, aut perturbatione fruantur; quod idem quoque de Protestantibus dictum esto.

II. Auxiliares pecuniæ imposterum ad millenas libras duodecies centies a christianissimo Rege quotannis durante bello Reginæ Sueciæ repræsententur, sed in moneta imperiali, solvendo pro dicta summa quadringenta & octoginta millia imperialium Thalerorum, idque Hamburgi in banco; ducenta nempe & quadraginta millia Thalerorum imperialium, ad diem ultimum Junii, pro tribus exactis mensibus, & tribus secuturis, totidemque ad diem ultimam Decembris cujuslibet anni, anticipata semper mensium trium solutione.

III. Si de universalibus plurium annorum induciis cum hoste transigi poterit, æquis & commodis conditionibus transigatur: iis durantibus, foedus hoc quidem vigeat valeatque, cesset

Sæc. XVII tamen promissum ad levanda belli onera subsidium, & sustentandis præsiidiis copiisque, quas Regina Sueciæ interim retinuerit; Rex ei suum gratificandi animum nullis non temporibus testaturus trecenta Thalerorum imperialium millia quotannis Amsterodami in Banco numerari curabit: Hujus vero induciarii subsidii solutio, sicut bellici, bipartita esto, iisdemque terminis ac diebus, ultima scilicet Junii, atque ultima Decembris fiat.

IV. Quod si dictæ induciæ vel ab adversa parte sub quocunque prætextu ita violentur, ut compellata nolit damnum injuriamve sarcire, vel præter vota fœderatorum infecta pace exeant, tum utroque casu sumptis denuo armis sua vis huic fœderi omni ex parte & auctoritas constet, ac si nullæ intercessissent induciæ, donec per Tractatum Pacis universalis tranquillitati publicæ rite prospectum sit.

V. In Pactione induciarum utrinque collaboretur, ut Illustrissimi Duces Brunsvico - Luneburgici, Illustrissima Landgravii Hassiæ Vidua, & quicunque porro Principes aut Status Imperii ad fœdus accesserint, commodas sibi quoque conditiones obtineant.

VI. Cum per hostes demum licearit pacem vel inducias conjunctim tractare,

stare, ne tam optandæ rei moram afferat longior locorum distantia, talia eligantur loca, quæ paucis ab invicem milliariibus distita, commoditatem præbeant sine mora, periculo aut difficultate communicandi. Qualia sunt Monasterium & Osnabruga, aut ejusdem fere intercapedinis alia.

VII. Pro expeditiore tanti negotii exitu, utriusque partis Præsidia durante congressu, ex omnibus tractatum locis amoveantur, illis tamen rursus, ni Pax successerit, statim inducenda.

VIII. Pacta hæc, pro credita nobis auctoritate conclusimus, recipimusque fore, ad quem modum se habent, ut eodem plane firmata a Regibus nostris, & ratihabita intra menses duos utrinque commutemus.

Firmatis his articulis Franciæ Rex Joannem de Werth Bavarici exercitus Ductorem libertate donavit, eumque Brisaccum conduci jussit, ut ibidem cum Hornio Sueco nuper capto permutaretur.

§. IV.

Domesticæ in Galliis turbæ.

Amplas promptæ felicisque expeditionis spes, quas Ludovicus XIII. Franciæ Rex sibi ex Sueco foedere pollicetur.

Calmet Hist. Eccl. de Lorraine, tom. 3. lib. 35.

Sæc. XVII
A. C. 1641. *licebatur, retardabant intestini motus tam a Carolo Lotharingæ Duce, quam aliis Franciæ Proceribus fuscitati: Occasio tumultus erat immodica Richelii Cardinalis auctoritas, indeque exorta Regionum Principum æmulatio: Hos inter præcipue Ludovicus Sueffionensis Comes Regio oriundus sanguine ægerrime ferebat, quod ferme semper primas præfato Cardinali cedere cogere, seque ab eodem vilipendi crederet, eoquod Richelius Vignerolam Cardinalis quidem cognatam, infimo tamen nobilitatis gradu progenitam Comiti in Sponsam obtrudere niteretur: inde accidit, ut Comes famulum, qui nomine Cardinalis ingentem auri vim, & præcipua Regni munia offerebat, impacto colapho domum remitteret: hinc novæ indignationis argumentum: Ut igitur Sueffionensis Comes Richelii iram, jugumque a suis humeris excuteret, clam Aula secessit, & cum Aurelianensi Duce, Bullionio, Guisio, aliisque Principibus, quos par in Richelium aversio in defectionis societatem traxerat, adversus Regem arma junxit. His insuper Cardinalis Infans Lamboium cum copiis in opem e Belgio submisit, Carolus vero Lotharingæ Dux clam cum præfatis Principibus foedus iniit: Igitur tot suppetiis auctus Sueffionensis,*

*Dupleix hist.
de Louis
XIII.
Mem. de
Montresor
Hist. du
Card. Ri-
chel.*

sis, Sedani castra posuit: Rex vero ^{Sæc. XVII.}
comperta horum secessione mox cum ^{A. C. 1641.}
valido agmine Castillioneum Mareſcal-
lum eo contendere jussit, Richelius quo-
que Carolum Ducem, ut juxta nuperi
fœderis leges, suas copias Regiis jun-
geret, sollicitavit: cum vero Carolus
morosa tergiversatione conceptam Car-
dinalis spem eluderet, Castillionæus
haud ultra cunctandum ratus, fœdera-
tos Principes Sedani toto impetu ag-
greditur, attamen, ut ferme semper
contingit in domesticis tumultibus, pri-
mum rebellibus fortuna favit, & Ma-
rescallus non exigua suorum clade de-
victus retrocedere coactus est. Ubi
vero victoriæ reliquias avidius colligit
Suessionensis, vel a semetipso, vel suo-
rum vel hostium aliquo (id enim in-
certum est) sclopeti glande trajectus,
inter mortuos reperiebatur: Præcipuo
Duce sublato dissipatæ sunt factionis
partes, & quidem Aurelianensis sponte
secessus Belgici pertæsus aliquamdiu in
Sabaudiam secessit, Guisius vero in
Flandriam, & Bullionius in Franciam
contendit, in Regis gratiam die quinta
Augusti receptus, ea lege, ut Regi
Sedanæ urbis dominium cederet, ut
infra memorabimus.

Sæc. XVII.
A. C. 1641.

§. V.

*Caroli Lotharingiæ Ducis fata circa
sui matrimonii valorem.*

Hoc item anno Carolus IV. Lotharingiæ Dux relictis Austriacorum Hispanorumque partibus, quibus hactenus immota fide inhæserat, Gallis accessit, ac die vigesima nona Martii Parisiis cum Richelio Cardinale, qui Regis vices obibat, foedus iniit, vi cuius, excepta Metropoli Nanzeio & Comitatu Claremontano Lotharingiam recuperaret, rejectis tamen Austriacorum partibus copias suas Regiis associaret. Has conditiones, sicut Cantacruiciæ Ducissæ sollicitationibus acceptabat, ita ejusdem mulieris importunitate paulopost respuebat: Hujus vero subitanæ mutationis causam, narrationemque ab ovo accersam, & ad mala, quam verissime fas erit, perducam. Sic autem ea res, quemadmodum subjiciam, habet.

Jam anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo primo Carolus Lotharingiæ Dux cum Nicolina Henrici Ducis Filia matrimonium iniit, postquam vero decimo tertio post anno Bisantium secesserat, Beatricem de Cusanca postea *Cantacruciam Principem* dictam

distam deperire cæpit, eamque sibi in *Sæc. XVII.*
uxorem dari, ab ejus Matre petiit. A. C. 1641.
Obstitit quidem prius matrimonium
cum Nicolina initum, Dux tamen il-
lud omnino nullum esse reposuit, eo-
quod sine mutuo utriusque partis con-
sensu contractum, Patrisque sui minis
extortum fuisset. Interea vero tempo-
ris, quo Carolus Cæsari suppetias la-
turus, in Germaniam contenderat, pro-
curante Phalzburgia Principe Eugenius
Cantæ-Crucis Princeps Beatricem du-
xit, quo tamen paulopost peste extin-
cto, Carolus serio de priori suo matri-
monio irritando cogitavit. Non deerant,
qui suam Theologiam Principum votis
accommodare assueti, Ducem in suo
proposito firmarent, atque inter eos
præcipue Pater Desiderius Chemino-
tus Jesuita, qui Beatrici, ejusque Ma-
tri a confessionibus erat, edito libro pro-
pugnabat, quod ad alias nuptias tran-
sire, Carolo Duci integrum esset. Alii
vero Viri eruditi connubium Ducis cum
Nicolina contractum omnino validum,
legitimumque esse decidebant: ipse e-
tiam summus Pontifex Ducem ad ser-
vandam legitimæ uxori fidem gravibus
oppido verbis & rationibus urgebat:
nihilominus Carolus Dux Bisantii Men-
se Aprili anno Salutis nostræ millesimo
sexcentesimo trigesimo septimo cum
Bea-

Sæc. XVII. Beatrice connubio junctus est, assistentibus testibus, & Vicario Ecclesiæ ad S. Petrum. Anno sequenti Dux Patrem Cheminotum, quem sibi a confessionibus selegerat, Romam decrevit, ut suum cum Nicolina matrimonium irritum declarari, a summo Pontifice impetraret: Numerabat hic idem Jesuita Romæ duodecim Societatis suæ Theologos, qui ejus opinioni suffragantes, libertatis mutique consensus defectum exaggerarent, quinimo scriptis divulgarent, Nicolinam a Lechanteo Henrici Ducis Eleemosynario, qui ob Magiæ crimen combustus esset, fuisse Baptistam, proin Nicolinam nec Christianam, nec legitime desponsatam esse: Ita nempe adulandi servitus non raro sanæ rationis veritatisque depravationem inducit. Hæc dum interea Romæ & Bisantii ultro citroque circa Ducis matrimonium agebantur, Carolus concepta contra Viennensem aulam indignatione literas querelis plenas exarabat, quibus interceptis Richelius Cardinalis totus in eo erat, ut Ducem ab Austriacis Hispanisque partibus abstractum Galliarum Regis obsequio ac servituti manciparet. Hanc in rem præter amplas pollicitationes Beatrici quoque insinuari curabat, quod si Ducem ad Gallorum studia pertraheret, Franciæ
Rex

Rex pro irritando Nicolinae matrimo- Sæc. XVII.
 nio validam impensurus esset operam: A. C. 1641.
 insuper Richelius, ut Beatricem eo
 certius in casses suas duceret, Regi au-
 ctor extitit, ut sese erga Nicolinam re-
 missius ac unquam gereret, eamque va-
 riis molestiis eo adigeret, ut ipsa ex
 Galliis in Hispaniam secedere quære-
 ret. Enimvero subditorum calamita-
 tes & gemitus, adversa belli fortuna,
 ditiones suas recuperandi, & connubii
 sui dissolvendi spes haud parum Caroli
 animum ad expetendam Regis Galli
 amicitiam impellebat: His accessit in-
 dignatio in Hispanos concepta, eo quod
 Cardinalis Infans, necnon Mechlinien-
 sis Archiepiscopus Carolum interminata
 etiam anathematis pœna ad repudian-
 dam Beatricem tam potenter urgerent,
 ut spondere cogeretur, quod Papæ mo-
 mitis obtemperare, atque ab eodem
 Pontifice tres Judices, scilicet Meten-
 sem, Tullensem & Verdunensem Epi-
 scopos petere, interim vero Beatricem
 in quamdam Catholicam Helvetiorum
 urbem transmittere vellet. Verebatur
 etiam, ne, si diutius Gallici Regis pa-
 trocinio destitutus remaneret, Nicolai
 Francisci Fratris sui proles pro legiti-
 mis hæredibus, Beatricis vero Filii
 pro spuriiis a Gallis haberentur: Ab-
 sterrebat tamen e contrario Carolum
Hist. Eccles. Tom. LX. Gg con-

Sæc. XVII. A. C. 1641. concepta erga Richelium averfio, & fimulatæ amicitæ, indeque orituræ fervitudinis formido: Tandem inter tot arcta, & bivia prehensum Ducem Beatrix aliunde molestiarum pertæsa eo impulit, ut unacum illa nonnisi regis liberi transitus literis munitus, die septima Martii hoc anno Parisios veniret; spe concepta, quod evoluta jam depositi tempore saltem Nanceium, & Barensem Ducatum recuperaturus esset. Verum se delusum mox senserat Carolus, postquam non modo Rex Beatricem pro Ducissa haberi, aut quicquam in Nicolinæ præjudicium agi prohibuerat, sed insuper Richelius Cardinalis eidem insinuabat, „quod Rex Lotharingicas ditiones utpote jure belli „partas, & præcipue Barensem Ducatum ob felonix crimen retinere posset, „sique Dux reluctari cogitaret, facili „negotio ad officium redigi valeret: „de cetero circa novum cum Beatrice „matrimonium Rex declararet, hoc „negotium nihil ad se pertinere, tota „caussa jamjam ad Pontificem devoluta. Fremuit equidem Carolus Dux, pejora tamen veritus a suis hostibus, quorum sese improvidus traderat, reconciliationis articulos a Richelio pro suo arbitrio propositos non modo chirographo suo, sed & juramento

sæc. XVII.
A. C. 1641.

mento firmavit, prout supra memora-
vimus. Vix Barium reversus, die vi-
gesima octava Aprilis, advocatis testi-
bus, & Tabellariis palam profitebatur,
quod duntaxat vitam, libertatemque
servandi studio adactus tam foederi,
quam secretis articulis sibi a Richelio
obtrusis subscripsisset. Præterea nun-
tium ad Cardinalem Richelium able-
gabat, qui eidem significaret, quod
Dux nequaquam foedus violandi, sed
paratam captivitatem effugiendi animo
secessisset, cum ex literis, quas Hal-
liera Nanceiensis Gubernatoris conjux
ad Angelicam Congregationis Religio-
sæ Præfectam dedisset, perspexerit,
quod Richelius illum custodiæ tradere
machinaretur: Exacerbatum Ducis a-
nimus acrius inflammabat Beatrix,
quæ Duci liberius exprobrabat, quod ini-
to foedere eam omni injuriarum genere
afficiendam Gallis exposuisset, ipse ve-
ro Dux in opprobrium Domus suæ in
Gallorum mancipium degenerasset. His
objurgationibus permotus Dux, rursus
rupto foedere, sese totum Austriacis
addixit. Hinc vero Regis Francici
jussu, Grancæus, & Hallierius Mare-
scalli arma Lotharingis intulere, in-
fausto tamen Gallis successu; Carolus
enim profligato Hallerio Mottam urbem
non sine magna Gallorum clade recu-
pera-

Sæc. XVII. perabat: Tum vero Richelius vindictam
 A. C. 1641. suam haud acrius exerere poterat,
 quam ut Nicolinam, necnon Franciscum Ducis Fratrem continuis stimulis incitaret, quatenus matrimonium Carolum inter & Beatricem nullum Romæ declarari urgerent. Tam exiguae molis id erat negotium, ut Urbanus VIII. aliunde de petitionis æquitate convictus, die vigesima tertia Aprilis anno sequenti Carolum diris devoveret, ni illico Beatricem dimitteret. Adversus hanc Pontificis sententiam præcipuus inter illos Advocatos, qui Ducis causæ patrocinabantur, reclamabat, simulque a Papa male edocto ad melius edocendum provocabat. Carolus vero, ut factæ provocationi insistere posset, ab anathematis sibi per Mechliniensem Archiepiscopum denunciati vinculo prius solvi petiit, obtinuitque, ea lege, ut thoro & domicilio sese a Beatrice separaret, primique matrimonii nullitatem testibus idoneis comprobatam redderet: Conditionis difficultate absterritus Dux, Apostolico Bruxellensis Urbis Nuntio declarabat, quod justitia sibi denegata, juxta Virorum probitate & doctrina insignium sententiam Beatricis consortio frui, absque Pontificis venia sibi integrum esset, eoquod ipsemet Jesuita Conjugi suæ, cui

cui a confessionibus erat, declarasset, Sæc. XVII.
 quod ipsa sine lethalis criminis labe, A. C. 1641.
 debitum conjugale petenti Duci dene-
 gare haud posset. Interim vero Lo-
 tharingicæ Domus Principes toti in eo
 erant, ut Beatricis matrimonium Sedis
 Apostolicæ iudicio nullum declarari,
 & Nicolinae de securo ad Ducem Ma-
 ritum suum reditu idonee caveri im-
 petrarent. Nec ad utrumque difficil-
 em sese exhibuit Dux, qui Vincentium,
 quem a secretis habuit, ad Nicolinam
 decrevit, ut eidem significaret, se ad
 nuptias cum Beatrice transiisse, eo-
 quod ipsa non modo in primum matri-
 monium non consensisset, sed etiam
 plures Viros fide dignos, qui ejus dis-
 sensum declararent, ablegasset. Id ve-
 ro constanter pernegante Nicolina, Ca-
 rolus se falso rumore deceptum agno-
 scens declarabat, quod eam denuo in
 conjugem suum recipere ac permittere
 velit, ut primum matrimonium Rotæ
 Romanæ iudicio validum fuisse deci-
 deretur, dummodo ipsa innovato mu-
 tuo consensu statim ante pronuntiatam
 sententiam ex Franciæ Aula Duci in-
 sensa excederet. Renuit tamen Nico-
 lina novum adhibere consensum, ne
 unquam de matrimonii sui valore du-
 bitasse videretur: pollicebatur autem,
 quod Galliarum Rege ultro annuente
 Gg 3 post

Sæc. XVII. post Sedis Apostolicæ iudicium ad Ma-
A. C. 1641. ritum suum reversura sit. Die tertia
 Maij anno hujus sæculi quadragesimo
 septimo Lotharingici Principes habito
 conventu concludere, rogandum esse
 Carolum, ut Sanctitatis suæ iudicio
 stare, & Franciæ Reginæ, necnon
 Aurelianensis Ducissæ arbitrio securi
 reditus condiciones permittere velit,
 ita tamen, ut consensus tam in matrimo-
 nii firmitatem, quam in conditionum
 acceptationem per Nuntium Apostolicum
 Romam ad summum Pontificem remit-
 teretur: Ipsa etiam Nicolina coram
 præfato Nuntio die vigesima sexta Maij
 testabatur, quod non nisi post latam
 summi Pontificis sententiam coram Re-
 gina, suo Marito, & Aurelianensi Du-
 cissa declarare velit, qualiter de sua
 securitate sibi cautum esse peteret. Has
 quidem condiciones acceptabat Caro-
 lus, qui tum Bruxellis agebat, quo-
 niam vero Nicolina Franciæ Regis pro-
 tectioni nuntium mittere, ac Parisiis
 excedere recusaret, insuper etiam sub
 idem tempus scriptum quoddam, quod
 Carolus libellum famosum, opprobriis
 calumniisque refertum appellabat, ty-
 pis vulgasset, hinc Carolus in rabiem
 actus Vincentio negotium dedit, ut re-
 scissis omnibus pro reconciliatione ge-
 stis declararet, quod Nicolina suis sub-
 terfu-

terfugiis clare testaretur, eam in con- Sæc. XVII.
 nubium suum nunquam consensisse. A. C. 1641.
 Interim Innocentius X. Papa denuo Ca-
 roli nuptias cum Nicolina fuisse validas
 die decima quinta Januarii anno hujus
 sæculi quinquagesimo tertio pronun-
 tiabat, addito interdico, ne ultra cum
 Beatrice habitaret; anno sequenti au-
 tem die vigesima tertia Martii Rota
 Romana decidebat, quod connubium
 Ducis cum Beatrice omnino irritum ef-
 fet. Huic sententiæ eo libentius stabat
 Carolus, quo majorem aversionem con-
 tra Beatricem conceperat, ex quo il-
 lam Antverpiæ illicitis amoribus in-
 dulsisse comperit: Nicolina tamen læ-
 sententiæ adhuc infcia ad Maritum
 suum redire cunctabatur, Beatrix ve-
 ro, cum ab Archiducis Auftriaci Se-
 natu suis bonis & redditibus, relicta ei-
 dem duntaxat prolium suarum tutela,
 privata esset, in Monasterium Religio-
 sarum Virginum Visitationis apud
 Montes secessit, adjudicatis eidem an-
 nuis triginta librarum millibus: Caro-
 lus autem ab Hispanis captus Toletum
 abducebatur, hunc vero Nicolina ar-
 denter libertati, incassum licet, red-
 dere satagebat, tandem vero die vige-
 sima tertia Februarii Parisiis anno Do-
 mini millesimo sexcentesimo quinqu-
 gesimo septimo decessit, qua defuncta
 Gg 4 Bea-

Sæc. XVII. Beatrix matrimonium suum ratum haberi, impense a Carolo Duce petebat, qui necessariæ dispensationis ægre a Papa obtinendæ prætextu Beatricis vota diu elusit, demum vero cum eadem absens die decima sexta Maij anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto Bisantii novo matrimonio se junxit, nunquam tamen cum illa vitæ societatem habuit; die enim decima octava Septembris anno hujus sæculi septuagesimo quinto septuaginta duos annos natus Alembaci in inferiore Palatinatu obiit.

§. VI.

Pater Cellotius librum suum de Hierarchia retractare compulsus.

*Argentre
Collect. Jud.
t. 3. p. 40.*

Eodem anno, quo Petrus de Marca Parisiensis Archiepiscopus contra Optati Galli librum, instigante Cardinale Richelio, suum tractatum *de concordia Sacerdotii & Imperii sive de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ* ediderat, apud Facultatem Parisinam denuntiabatur liber *de Hierarchia & Hierarchis* a Ludovico Cellotio Jesuita Rothomagi hoc anno typis vulgatus. Excerpebantur ex eodem libro, variæ propositiones, quas hic idem Pater declarare ac deum Parisiis die vigesima nona Maij revo-

revocare cogebatur: erant autem potif-
 fimum hæ ex tractatu de Hierarchia Sæc. XVII.
 A.C. 1641.
 depromptæ.

I. Universalem Ecclesiæ Hierar-
 chiam in strictiore significato sumptam,
 in tres partes, seu partiales Hierar-
 chias distribuo, earumque singulis tres
 gradus assigno. Primam & supremam
 Charismatum, seu gratiarum gratui-
 tarum; mediam Ordinis; infimam Ju-
 risdictionis appello. In prima Sancti-
 tas est: in secunda, Consecratio: in
 tertia, Missio. Prima dat auctorita-
 tem Excellentiæ; altera simpliciter Po-
 testatem, aut (ut D.Thomas) officium;
 ultima Jurisdictionem.

Hanc propositionem ita declarabat
 Cellotius:

*Quod spectat ad Hierarchiæ divisionem,
 declaro eam Hierarchiam, quam Charis-
 matum appellavi: Non esse firmam & su-
 premam Hierarchiam, in ratione Hie-
 rarchiæ, imo etiam, quamvis in Hierarchia
 soleant esse charismata, tamen in charis-
 matibus, aut ex charismatibus per se &
 præcise sumptis, (hoc est, si is, qui habet
 charismata, non habet Ordinem aliquem
 ex septem vulgo dictis, vel Jurisdictionem)
 non esse Hierarchiam, nisi prout
 Hierarchiæ nomen late & æquivoce su-
 mitur,*

Gg 5.

Scri-

Sæc. XVII. Scriptit etiam Cellotius de Angelico
 A. G. 1641. in conficiendis Sacramentis, & pascendis
 hominibus ministerio, ex quo tractatu
 binæ fuerunt excerptæ propositiones.

I. Ut Angeli comministri sint no-
 stri, operum Duces, & perpetui in
 Sanctissimis illis Mysteriis adjutores, ut
 sequenti libro videbimus: inquam Hie-
 rarchiæ Sanctitatis partem, assumptos
 ex hominibus, cælestis Hierarcha non
 vocat. Quare actionibus Hierarchicis
 hominem Angelus antecellit. II. Confir-
 mata Angelis Episcoporum & Sacer-
 dotum nuncupatione quid apertius po-
 stulas, ut rem ipsam, & pro modo, mu-
 nus & officium asseram?

Utamque vero hanc propositionem
 ita explicabat Cellotius:

*Ubi Angelos appello Episcopos &
 Sacerdotes, non sumo Episcoporum aut
 Sacerdotum nomen stricte ac proprie, sed
 tantum late & improprie, quod eo loco
 satis expressum putavi, his verbis: con-
 firmata Angelis Episcoporum & Sacer-
 dotum nuncupatione, quid apertius postu-
 las, Lector, ut rem ipsam, & pro modo
 munus & officium asseram.*

*Hæc autem verba, Actionibus Hie-
 rarchicis hominem Angelus antecellit,
 nolim simpliciter intelligi, quasi Sacramen-
 torum administratio sit magis ab Angelo,
 quam ab homine, sed tantum, secundum
 quid,*

quid, quia Angeli in Sanctissimis Mysteriis Sæc. XVII.
 homines adjuvant, faciuntque præsidis A. C. 1641.
 suis, ut ea illi recte administrent, ut ex-
 pressus dixi.

III. In libri tertii capite tertio Cellotius legem Mosaicam cum Evangelica contulit his verbis: Vides, quam honorifice de lege loquatur cum Apostolo S. Augustinus, eamque non suo, sed concupiscentiæ vitio improbis obesse dicat, tantum ex accidenti, non per se & quantum in se est. Perfici autem Dei gratia, non ab ipsa lege aliena, ex alia quadam lege mutuo sumpta, sed ipsi non minus quam Evangelio intrinseca.

Hæc autem verba Cellotius ita interpretabatur: cum dico, Dei gratiam legi Mosaicæ, non minus quam Evangelio intrinsecam: Per intrinsecam, intellige necessario adjunctam, sive necessariam, adeo ut sicut lex nova sine Dei gratia impleri non potest, ita nec sine ea impleri potuerit lex Mosaica, ut fuse disputavi eodem Lib. & cap. §. I. pag. 106. & 107. Alioqui enim agnosco, & Catholicam Doctrinam esse dixi pag. 105. totam gratiam, quæ in Mosaica lege concessa fuit, profectam esse a Christi futuris in nova lege meritis, & ampliorem multo, potentioremque gratiam hominibus tribui in lege nova, quam olim data fuerit in lege Mosaica.

Post-

Sæc. XVII. Postmodum libro quarto de Conci-
 A. C. 1641. liorum Oecumenicorum convocacione hanc
 protulit propositionem:

Ceterum quod alias decreverat
 Constantiense Concilium, ut quovis
 decennio Synodus generalis convoca-
 retur, ad reformationem Ecclesiæ, tam
 in Capite, quam in membris, posteritas
 malo suo experta omisit exequi,
 memor Ariminensis, Ephesinæ utrius-
 que, quintæ, octavæ Synodorum an-
 tiquarum. Et in margine habet, Con-
 ciliarum Generalium periculosa con-
 vocatio,

Hanc propositionem explicabat Cel-
 lotius his verbis: Conciliarum genera-
 lium convocacionem dixi periculosam, in-
 tellige aliquando, neque vero mihi mens un-
 quam fuit, convocacionem istam non esse
 sæpe numero utilissimam ac saluberrimam
 Ecclesiæ Dei, aut etiam non esse quando-
 que necessariam. Quin potius utrumque
 plane affirmo & profiteor. Nam si Conci-
 liorum Provincialium maximam in Ecclesia
 utilitatem esse dixi, postea eodem Libro
 Cap. 11. pag. 201. Quanto potiori jure
 de generalibus illud affirmandum est?

Circa auctoritatem Conciliarum &
 Pontificum sequens notabatur propo-
 sitio: Supra vidimus publicam recla-
 mantis Ecclesiæ vocem Pontificum &
 Conciliarum Decretis robur detraxisse,
 quæ

quæ passivæ infallibilitatis pars est, Sæc. XVII.
& species. A. C. 1641.

Hanc vero propositionem ita interpretabatur: quod dixi publicam reclamantis Ecclesiæ vocem conciliorum, & Pontificum Decretis robur detraxisse, sic accipiendum est, ut primo per Ecclesiam intelligam fidelium multitudinem per orbem dispersam. 2. Per Decreta nolim ea intelligi Decreta, quæ sunt de rebus fidei, sed ea tantum, quæ spectant ad mores, & Disciplinam, atque omnino ad res eas, quæ pro diversis temporibus ac locis solent, & possunt esse aliæ atque aliæ. 3. Per Decretorum Robur, nolim conciliorum, aut summorum Pontificum auctoritatem, & potestatem a fidelium per Orbem dispersorum arbitrio, aut voluntate pendere, sed tantum quandoque fieri, ut Conciliorum & Pontificum summorum Decreta, sicut vulgo dici solet, non obligent in actu secundo, sive quia fideles tandem desierint ea observare, ususque contrarius paulatim introductus, ac receptus fuerit, sive etiam quod fideles justis & gravibus de causis ea nonnunquam rejecerint.

De auctoritate & Jurisdictione Superiorum Regularium binas hasce propositiones protulit Cellotius. I. Quoad Episcopos spectat, seu potius Hierarchas (alios enim aliquos ipsis hac in prærogativa conjungi dicturi sumus. inf-

Sæc. XVII. inferius) eos solos cum Pontifice jus sus-
 A. C. 1641. fragii, & definiendi auctoritatem habere.

II. Tertium argumentum deduco ex actibus Hierarchicis, quos in Conciliis Provincialibus, generalibusque exercent ab antiquo Abbates, & ex quo Religiosi Mendicantes exorti sunt, eorum Ordinum Generales. Nam si eos judicasse, decrevisse, subscripsisse monstravero, licet aliquando ad Sacerdotii Dignitatem evecti non essent, eo tantum nomine quod Abbates, seu Archimandritæ Monasteriis præessent, nonne confecerō Hierarchas esse, & quidem eximio post Episcopos gradu? &c. Quid amplius habent in Synodo Episcopi, quam ut sedeant, & ordinent?

Utramque hanc propositionem hic Author explicabat sequentibus verbis: Abbates & alii Regularium Superiores, non per se præcise, & ex eo quod Regulari præsunt Ordini, jus habent assistendi Conciliis, atque in iisdem deliberandi. Sed iis assistunt, atque in iis decernunt tantum ex privilegio.

Circa Regularium Privilegia Celsitius censuit, iis ablati ipsam Religiosi Status essentiam tolli: hanc tamen doctrinam revocabat, asserens, quod Ordinum Regularium Privilegia, quibus sunt a potestate & jurisdictione Episcoporum exempti, revocari & tolli possint, & ita
 qui-

quidem ut iis revocatis & sublatis adhuc Sæc. XVII.
 remaneret essentia Ordinum Regularium, A. C. 1641.
 etiam Mendicantium, & aliorum, qui per
 Sacrorum ministerium alienæ Saluti ser-
 viunt. Non tamen id fieret sine aliqua e-
 jusmodi Ordinum imminutione, & alte-
 ratione.

In libro quinto agens de approba-
 tione ad Confessiones hæc docuit: Non
 mihi a vero aberrare videntur ii, qui
 arbitrantur, si quis bona fide in Con-
 fessarium eligat virum publice notum,
 & pro sufficiente habitum, quemque
 putet ad id muneris expositum esse, va-
 lide absolvi. Quia communi arbitrio,
 & errore vulgi reputatur idoneus. Tunc
 enim Pontifex in favorem fidelium ta-
 cite Jurisdictionem concedere judi-
 catur.

Hanc vero doctrinam ita tempera-
 bat: Hæc intelligo de eo confessario,
 quem pœnitens putet ad id muneris legitime
 expositum esse, quod hic Confessiones audire
 soleat, Ordinario sciente & non repugnante.
 Tunc enim Confessarius habet ab Ordinario
 tacitam & virtuales approbationem, etsi
 non expressam, & formalem.

Porro in eodem libro improvide
 scripsit, quod Regulares sine Episcopi
 approbatione sæcularium Confessiones
 excipere possint, & deberent: Hanc
 tamen suam hallucinationem his verbis
 excu-

Sæc. XVII. excusabat: *Non debent, nec possunt Regulares Sæcularium Confessiones audire, nisi approbationem ab Episcopo obtulerint.* Aliud quidem dixi, autores aliquos secutus, nunc autem volens ac lubens probō, & amplector scriptum illud, quod Anno 1633. die 19. Febr. tum ex Ordinibus aliis, tum e Societate nostra Superiores aliqui Eminentissimo Cardinali Duci Richelio dederunt, nominibus Syngraphisque suis consignatum, atque inferius expressum, quod quidem scriptum nondum mihi innotuerat, cum meos de Hierarchia libros scripsi.

In libro autem octavo Cellotius de Charismatibus ad Episcopatum præquisitis, hæc scripsit: „Sunt hæc igitur tum contemplationis, tum actionis Hierarchicæ membra, quorum meminisse debemus hoc loco, quod est alibi adnotatum, fundamentum, vim omnem, atque efficientiam in Dei vocatione, & charismatum communicatione consistere.”

Huic tamen propositioni hunc sensum accommodavit: *Hierarchiæ Ordinis & Jurisdictionis fundamentum, vim, & efficientiam, in Dei vocatione, & charismatum communicatione repono: non quod non possit aliquis sine divina vocatione & gratia ad Ordinis & Jurisdictionis Hierarchiam validè admitti, sacrosque Ordi-*

Ordines valide suscipere & exercere, sed tantum, quod non possit licite & debite.

Sæc. XVII.
A. C. 1641.

Ex eodem libro sequens notabatur propositio: „Ex iis, qui recentissime scripserant, Valerius Reginaldus viginti annos & amplius se illam scientiam professum, non tamen suam in multis, sed potius aliorum Sententiam sequi gloriatur: & quidem recentiorum, quoniam inquit, quæ circa fidem emergunt difficultates, eæ sunt a Veteribus hauriendæ: quæ vero circa mores homine Christiano dignos, a novitiis Scriptoribus, qui temporum nostrorum naturam, & studia penitus introspexerunt,„ & in margine scribit *Doctrina morum a recentioribus sumenda.*

Hanc propositionem ita declarabat: *Ex Valerio Reginaldo refero, difficultates eas, quæ circa mores homine Christiano dignos emergunt, non tam a veteribus Scriptoribus hauriendas esse, quam a novitiis, qui temporum nostrorum naturam, & studia penitus introspexerunt: Verum id imprimis Reginaldi est, & a me refertur tanquam Reginaldi. Deinde potest Reginaldus recte ita intelligi, ut loquatur quidem de moribus honestis, laudabilibus, & homine Christiano dignis, verum non esse de omnibus in universum, sed tantum de iis, qui pro diversis temporibus & locis mutari possunt.*

Hist. Eccles. Tom. LX.

Hh sunt,

Sæc. XVII sunt, sicut etiam satis ipse indicat his ver-
 A. C. 1641. bis, qui temporum nostrorum, &c.

Circa Baptismum hæc perstringe-
 batur propositio. Verba: abrenuncio,
 volo, credo, promissionem strictam non
 important: quod susceptor voto suo ne-
 scientem puerum illigare non possit.

Cellotii autem declaratio erat se-
 quens: Dixi in Baptismo; verba, abre-
 nuncio, volo, credo, promissionem stri-
 ctam non importare: Id vero intelligo
 de promissione votiva, ut tertia post linea
 loquor, id est, quæ sit per votum stricte
 & proprie dictum, quod præcedente linea
 nominavi; alioqui enim agnosco in Ba-
 ptismo, susceptores pro infante vere pro-
 mittere, & infantem ubi rationis usum ha-
 buerit, teneri ea præstare, quæ Susceptores
 ejus nomine promiserunt.

In libro nono Cellotius asseruit:
 „Clerum ad magnam obligari perfectio-
 nem, cujus media ex se non obtinet sæ-
 cularis.

Hanc propositionem ita tempera-
 bat: Clerum dixi ad magnam obligari per-
 fectionem, cujus media ex se non obtinet
 sæcularis. Id autem dixi comparate so-
 lum, non absolute, prout instituta Disputa-
 tio requirebat, aliudque nihil volui, quam
 Sæculares ex se, pauciora & minus effi-
 cacia habere media, quam Regulares, pro-
 pter vota Regularium, & quod horum
 status

status sit ab impedimentis remotior, ut pa- Sæc. XVII.
 tet locum totum perlegenti pag. 919. Nam A. C. 1641.
 si absolute & non per comparationem lo-
 quendum est, agnosco nullum esse statum,
 cui non suppetant media necessaria & suffi-
 cientia, ad obtinendam eam perfectionem,
 ad quam obligatur.

Varias etiam contra dignitatem Epi-
 scopalem enuntiabat propositiones,
 quarum sensum his verbis explicabat:
 Dixi in dispositione sufficienti ad capessen-
 dum Episcopatum, hominem criminibus non-
 nullis infamem. Excidit ea vox, infamem,
 incogitanti, quam deleri volo, &
 reponi (criminum quorundam occultorum
 reum) ab Episcopatu removeri: non vi
 status, sed Ecclesie instituto. Quod no-
 tum sic intelligi, quasi spectata Status Epi-
 scopalis Dignitate, summa comparari non
 debeat innocentia & perfectio, ut quis rite
 decenterque consecretur; ut ostendi eodem C.
 pag. precedenti. 946. Verum id scripsi,
 ne quis arbitretur, illum necessario ad Epi-
 scopatum asserre debere innocentiam, ut
 sine illa criminis alicujus etiam occulti reus
 valide consecrari non possit, quod veritati
 repugnat & fidei.

Tantum porro abest, ut depressam ulla
 ex parte in mea doctrina velim Episcopa-
 lem dignitatem, potestatem, & Sanctita-
 tem, ut sancte possim affirmare, eam mihi
 semper mentem fuisse, eorum potestatem
 H h 2 & am-

Sæc. XVII. A. C. 1641. *Et amplitudinem demonstrare, Et quam ipse veneror, aliis venerandam proponere: quem sensum in eo ordine, cui Deo autore deservio, religiose conservari, Et commendari admonui Lib. 5. cap. 25, pag. 444. Idem suo modo de Clero sæculari iudicium ferri cupio, quem ex animo semper colui Et honoravi; quodque in commendationem Status Regularis attuli, id in Clericorum sæcularium depressionem referri nolo, cum sua utrique Statui, sine alterius contemptu, constet in Ecclesia dignitas, Et coram Deo meritum.*

Quare Lectorem in præfatione, atque iterum in libri conclusione precatus sum, Et rogare nunquam desinam, ne contentionis Et æmulationis, sed Charitatis studio ad hoc opus accedat. Et si quæ nonnunquam occurrent, verbis potius quam sensu Et animo meo duriora, quod in illo Scriptionis contentiosæ genere difficile est penitus evitare, charitas, quæ non cogitat malum, toleret interim, donec ipse aliquando, si Deus dederit, in secunda editione recenseam Et mitigem.

Idem P. Ludovicus Cellotius Jesuita anno hujus sæculi quadragesimo octavo alium edidit librum, sub titulo: liber singularis horarum subsecivarum, in quo propriam declarationem, qua antea suum de Hierarchia librum correxit, nunc ludicra & artificiosa narratione detot-

detorsit in doctrinæ revocatæ patrocini- Sæc. XVII.
 um, persuadere conatus, eam alia A. C. 1641.
 prorsus de causa editam a se fuisse, quam
 eorum, quæ in illo libro continentur,
 castigandorum necessitate: eapropter
 censuit Facultas ex suis scriniis genui-
 nam hujus causæ historiam publici ju-
 ris facere, unacum illa ipsa, cui Cel-
 lotius Superioris sui consensu & con-
 silio subscripsit, priore declaratione, ne
 prava & semel reprobata sua dogmata
 rursus pro sanis obtrudere audeat.

Erat autem hujus narrationis tenor
 sequens: Anno Domini millesimo sex-
 centesimo quadragesimo primo Nico-
 laus Ysambertus in Facultatis Theo-
 logicæ comitiis die decima quinta Ju-
 lii circa Ludovicum Cellotium Jesui-
 tam, Authorem librorum de *Hierar-*
chia retulit, quod cum illius Superio-
 res animadverterent, multos conqueri
 de variis capitibus istius operis, &
 facultatem serio cogitare de illius cen-
 sura evulganda, Eminentissimum Do-
 minum Cardinalem Ducem de Riche-
 lieu adierint, ab eoque supplices po-
 stularint, ut, quia author esset Ca-
 tholicus & Religiosus Societatis, ac
 paratus corrigere, quæ mererentur
 emendationem, & explicare, quæ pare-
 rent ambiguitatem, Eminentia sua
 dignaretur aliquos seligere, coram
 H h 3 „qui-

Sæc. XVII. „quibus author seipsum sifteret, proprio
A. C. 1641. „ore mentem suam circa propositiones
 „illas, quæ vel hæresis, vel erroris aut
 „falsitatis arguantur, aperiret. An-
 „nuit etiam Eminentissimus Cardinalis
 „eorum votis, & nonnullos ex Facul-
 „tate designavit, videlicet Magistros
 „nostros Chastelain, Peregret, Char-
 „lon, Lescot, Morel, Cornet, de Pe-
 „refixe, & de Sainte Beuve secum,
 „præsente etiam Reverendissimo Do-
 „mino de la Mothe de Houdencour
 „Rhodonensi Episcopo nominato; co-
 „ram quibus prædictus author cum a-
 „liquot ex suo ordine Professoribus
 „Theologiæ, videlicet Patribus Hai-
 „neufue, Petavio, & Bouchero, com-
 „paruit: pluribus tandem diebus hi
 „convenerint, & insigniores aliquas
 „propositiones selegerint, quarum falsi-
 „tas fuerat disceptata, ac eo deventum,
 „ut author ex consensu suorum alias
 „propositiones plane retractaverit, a-
 „lias adhibitis quibusdam particulis
 „emolierit, alias per collationem ad
 „ea, quæ aliis locis ejusdem operis
 „fusus tradiderat, ad sensum catholi-
 „cum reduxerit, alias denique sibi in-
 „cogitanter excidisse sit professus, hoc
 „totum scripto exaratum propria au-
 „thoris manu & Syngrapha subsigna-
 „tum, ad Eminentissimum Cardinalem
 „fue-

„fuerit transmissum; atque eidem fa-
 „cultati oblatum, ut lectione ejus prius
 „facta, in præsentibus Comitibus, in
 „Archivis publicis reconderetur. Au-
 „thor quoque significavit, eandem Fa-
 „cultatem debere hac una censura esse
 „contentam; cum propositiones hic ab
 „eo revocatæ & damnatæ, sint funda-
 „mentum totius sui operis, totum opus
 „simul in illis censi condemnatum;
 „intentum namque totius operis esse,
 „Religiosos, præcise ut tales, collo-
 „care in Hierarchia Ecclesiastica juxta
 „strictam significationem sumpta: quod
 „ut stabiliret, novam effinxisse Hierar-
 „chiam, quam speciali nomine appel-
 „lasset charismatum, censuissetque pri-
 „mam esse & nobilissimam omnium.
 „Idem vero author præsentis sua expo-
 „sitione hoc utrumque retractavit. Idem
 „pateret de singularibus prærogativis
 „Religiosorum, & id genus aliis, quas
 „idem author contendebat esse illorum
 „statui quasi essentielles, & intrinsecas,
 „& tamen sua propositionum sequen-
 „tium explicatione fatetur eas tantum
 „competere ex libera concessione, &
 „posse revocari.,

Sæc. XVII.
 A. C. 1641.

Sæc. XVII.
A. C. 1641.

§. VII.

Ratisbonensium comitiorum successus.

*Brachel.
Hist. lib. 6.
Annal. Boic.
par. 3. l. 26.
Barre Hist.
d'Allemagn.
t. 9. p. 733.*

Quamvis Cæsar Ratisbonæ sedulam daret operam pacandæ Germaniæ, tot tamen a Protestantibus, necnon a Gallis Suecisque opponebantur obstacula, ut de prospero successu desperatum crederetur: Censebant quorundam Principum Catholicorum Oratores, ad evitandas cavillationes peropportunum fore, si exteris regibus, & Principibus publicæ securitatis literæ submitterentur: Annuit Cæsar, ac Franciæ, Angliæ, & Daniæ Regibus imo & Principibus Palatinis, Luneburgicis & Castellensibus, etsi eos novo fœdere Suecis junctos nosset, ejusmodi literas expediri jussit, vi quarum fide publica cuilibet de plena itinerum atque in comitiis habitandi, agendique libertate securitateque cautum esset: Verum nonnulli Principes, eorumque Legati modum in scirpo quærentes, alii circa titulos, nonnulli circa modum, formamque harum literarum cavillari cæperant: querebantur quidam, quod non scriptis libellis, ut alii Principes, sed quasi precario ad comitia admissi essent: tot denique movebantur difficultates, ut quacunque demum forma

forma hæ literæ instruerentur, nun- Sæc. XVII.
 quam pacis hostibus fieret satis. His A. C. 1641.
 tamen omnibus insuper habitis Cæsar a
 reddendæ pacis studio nihil remisit,
 sed Lutzovium Consiliarium Aulicum
 Hamburgum ablegavit, ut cum Avel-
 lio seu Avaussio Franciæ & Salvio Sue-
 ciæ Legatis de præviis futuræ pacis
 articulis ageret, ubi etiam sublatis qui-
 busdam obstaculis utrinque die vigesi-
 ma quinta Decembris conventum, ut
 Galli Monasterii & Sueci Osnabrugæ de
 generali pace tractarent, ita tamen
 ut ambo hi conventus pro uno solo ha-
 berentur, & in utraque urbe, dimissis
 præfidiariis, cives vigilias agerent,
 necnon Cæsar, Hispaniæ, Franciæ &
 Sueciæ Reges eorumque fœderati sibi
 invicem intra bimestre per totam Ger-
 maniam & extra Imperium liberi tran-
 situs securitatisque literas traderent;
 Hæc tamen pacta displicuere Cæsari,
 si enim Franciæ & Sueciæ pacificatio-
 nes pro una haberentur, Cæsar utrius-
 que hujus coronæ fœdus approbasse vi-
 deretur, aliunde Cæsareæ auctoritati
 derogaretur, si præter Cæsareas secu-
 ritatis literas, quæ solæ sufficerent, in-
 super alii Principes & Reges ceteris,
 imo & ipsi Cæsari ejusmodi literas
 concedere permetterentur. Eapropter
 Ferdinandus Imperator revocato Lut-
 zovio

Hh 5

zovio

Sæc. XVII. zovio Auerfpergium Comitẽm eo ablegabat, ut Gallis Suecisque proponeret, quatenus novum haberent conventum: Hi vero inde offensi cum Cæfaris Oratore ultra agere recufarunt.

Interim fuma animi contentione Ratisbonæ in comitiis agebatur de Amneftia: Proteftantes enim & præcipue Brunsvicenfes, & Caffellani Oratores generalem anteaftorum oblivionem promifcue omnibus, nullo delicto, perfona, actione vel pœna exceptis, dari poftulabant, ita, ut omnes Imperii Ordines ac fubditi tam in civilibus quam Ecclefiasticis ad eundem ftatum, in quo ante ultimum hoc bellum erant, reducendi forent: Verum cum inter reftituendos nonnulli effent Imperii Ordines, qui aperte ejurato Imperii obfequio fe fe alienis Dominis devinxiffent, & quædam jura, actiones & bona ejus effent conditionis, ut reftitutionem excluderent, hinc Cæfar fingulos in præfatæ oblivionis gratia comprehendi noluit: quinimo ipfemet Saxonie Elector Brunsvicenfes Duces datis iterato literis ab hujus poftulati iniquitate dehortabatur, eisdem exponens „indignum effe, quod una ex parte exteris hoftibus juncti, in integrum reftitui peterent, ex altera vero nollent adver-

„sus Cæsaris hostes restitui, nec Cæsareis Sæc. XVII.
 „armis sua jungere, sed potius oppressa A. C. 1641.
 „Catholicorum parte, per vim, pacis
 „conditiones extorquere vellent, imo
 „usque deque haberent, an Catholici,
 „quorum res ab hoste occupatæ essent,
 „forent in integrum restituti: hanc ve-
 „ro non esse nec pacandæ Germaniæ
 „nec libertatis reddendæ rationem; ne-
 „que enim Catholicos usque adeo esse
 „exhaustos scirent, ut tam iniquis pa-
 „cis conditionibus pro Protestantium
 „arbitrio sibi perpetuum jugum imponi
 „paterentur: Catholicos æque esse Im-
 „perii membra & cives, quos salvis
 „Imperii sanctionibus, & humanæ so-
 „cietatis legibus, illæso jure gentium
 „opprimere non liceret, nec libera fo-
 „ret Germania, si contempto supre-
 „mo Imperii Capite, externo domina-
 „tui eam subicere molirentur, nec car-
 „pendum esse Cæsarem, quod implo-
 „rata exterorum ope, inconsultis Im-
 „perii Ordinibus arma sumpserit, &
 „Bohemiâ Friderico eripuerit; id e-
 „nim ab eo ex necessaria sui juris de-
 „fensione, & non nisi postquam plures
 „Imperii Ordines exterum militem
 „contra ipsum Cæsarem evocassent,
 „factum fuisse: eos vero nec Cæsarem
 „pro amico nec supremo Imperii Ca-
 „pite habere, si Cæsaris hostem in Ger-
 „maniam

Sæc. XVII. „maniam recipent, & cum eo arma
 A. C. 1641. „sociarent.„ Ad hæc quidem Saxoni
 responderunt Duces, postulatis tamen
 suis pertinaciter inhærentes, ac ceterorum
 Protestantium suffragiis firmati, propositis
 variis gravaminibus ac querelis pacis negotium
 præpedierunt. Aderant quoque Daniæ, & Angliæ
 Regum Legati, quorum posterior, nomine
 Thomas Rowæus, pro Palatino iniquiora,
 intentatis etiam minis postulabat, ac
 propterea Ratisbona facescere jussus est:
 ejus tamen precibus datum, ut Rupertus
 Palatinus hucusque Viennæ captivus
 libertate donaretur, necnon Palatina
 causa, finitis comitiis, Viennæ dirimenda
 decerneretur.

His peractis die vigesima Augusti
 Universalis Amnestia fuit promulgata,
 editoque publico diplomate octava post
 die ad valvas Curie Ratisbonensis affixa;
 quia tamen illa nonnihil quoad hæreditarias
 Cæsaris ditiones, Magdeburgicum Archiepiscopatum,
 causam Palatinam, nomina onerosa &c. fuit
 restricta, ideo non omnibus est probata:
 Sancitum præterea, ut restitutionis terminus
 in rebus profanis ab anno hujus sæculi
 trigesimo, in Ecclesiasticis a vigesimo
 septimo die duodecima Novembris incipiat:
 gravamina vero Religionis per utriusque
 Religionis Deputa-

putatos amice componantur: causa Sæc. XVII.
 Palatina separatim agitetur & post- A. C. 1641.
 quam fuerit decisa, recessibus Imperii
 inferatur, & Provinciæ ab hibernis li-
 beræ succurrant illis, quæ his gravan-
 tur. Quoniam vero comitia jam ad
 integrum annum excurrerent, & Cæ-
 sar eorum exitum urgeret, hinc tribu-
 naliū Imperialium reformatio ad anni
 sequentis Mensē Majum vel Spiræ
 aut Francofordiæ pertractanda rejicie-
 batur: Denique Belgii Hispani Ordini-
 bus de Bruxellensi Curia querentibus
 Cæsar respondit, effecturum se apud
 Hispaniæ Regem, ejusque Fratrem,
 nequid deinceps Imperii privilegiis de-
 rogaretur. Creabantur insuper in hisce
 comitiis in Sacri Romani Imperii Princi-
 pes, Itelius Hochen-zollern, Antonius Cro-
 mavius Eggenbergi Princeps, & Wen-
 ceslaus Lobkovitius. Ita demum cum
 exigua firmæ pacis spe peracto hoc
 conventu Cæsar die decima tertia Octo-
 bris Ratisbona Straubingam, & inde
 Viennam reversus est: ubi Angliæ Re-
 gis & Palatinorum Principum Legati
 ineunte Mense Decembri utrumque Pa-
 latinatum, dignitatem Electoralem,
 cuncta annexa jura, fructus perceptos,
 exactiones, suppellectilem, archiva,
 annonam ceteraque omnia in eo statu,
 in quo anno hujus sæculi decimo octavo
 fuissent,

Sæc. XVII. fuissent, restitui petierunt. Quantum
A. C. 1641. vis hæc petitio præcipue Maximiliano
 Electori Bavaro admodum gravis ac-
 cideret, annuit tamen, ut juniore Comiti Palatinatus inferior redderetur,
 Superiorem quoque restituere paratus, si tredecim milliones in Belli Bohemici sumptus expensi sibi restituerentur: ea enim de causa Cæsar Maximiliano cum evictionis obligatione Superiorem Palatinatum, & Inferioris partem aliquam Cistrhenanam vendiderat. Cum autem hujus summæ restitutionem Palatinorum viribus imparem esse reponeret Angliæ Legatus, & Palatini Oratores a suis postulatis nihil omnino remittere vellent, re infecta in aliud tempus hæc causa differebatur. Hispani quoque urbes in Palatinatu inferiori occupatas, absque compensatione reddere tergiversabantur, necnon Claudia Archiducissa Gernersheimianam Præfecturam ad suos filios Austriæ Archiduces pertinere contendebat, eoquod eam Palatini Principes nonnisi oppignorationis jure possedissent, illamque Cæsar ad Leopoldum Archiducem in præstiti obsequii mercedem transtulisset: eapropter Cæsar pronuntiabat, quod, Palatino omnibus foederibus contra Domum Austriacam initis nuntium mittente, ipse Palatinis

*Pufendorff.
 rer. Succ.*

l. 14. n. 71.

latinis Principibus Palatinatum infe- Sæc. XVII.
riorem integre restituere, ac numerata A. C. 1641.
pecunia, quam eorum Majores Au-
striaciis mutuo dedissent, Germershe-
mum reluere velit; in qua promissio-
ne Cæsar exacte æquitatis leges ser-
vavit, cum supremo Principi feuda op-
pignorata, restituto pretio reluere,
semper integrum sit, aliunde vero ex
tabulis de Anno 1335. & 1356. sine
controversia constet, quod hæc Præ-
fectura ab Austriacis fuerit Palatinis
oppignorata, proin nunquam ad Pala-
tinatum inferiorem jure Domini per-
tinuerit.

§. VIII.

*Horrendæ Anglici Senatus vexatio-
nes contra Regem & Episcopos.*

Sub idem tempus in Anglia Parlamen- Clarendon
tum seu Superior & Inferior Curia t. I. p. 234.
Regem suum omni auctoritate spoliare, Rusworth
palam nitebatur; quamvis enim Caro- Vol. IV.
lus Rex in prima Sessione animum suum pag. 19.
non nisi ad promovendam Regni securi- Thoiras hist.
tatem, tollendaque onera propensum d' Angl. l. 20.
gravibus oppido verbis testatus esset,
nilque aliud ab Anglis peteret, quam
ut ad alendas copias pro coercendis
rebellibus necessaria conferrent subsi-
dia, nihilominus inferioris Curia Se-
nato-

Sæc. XVII.
A. C. 1641.

natores, quorum potissimi Puritani Scotis favebant, hisce petitis adeo non deferebant, ut etiam Scotis ter centies mille libras Sterlingicas promitterent, totoque conatu Regem suo populo infensum reddere certarent. Hunc infinem Pymus præcipuus rebellionis incensor subditorum querelas conductitia, aculeisque armata eloquentia coram Senatu exaggerans, Privilegia Parlamenti, subditorum libertatem, ipsamque Religionem per Regem fuisse labefactatam exposuit, cumque sat compertum haberet, quod Religionis depressæ obtentus plurimum apud vulgus valeret, hinc verbis ad motus animorum, vulgique sensum accommodis enarrabat, Papistas invaluisse, eoquod edicta adversus eos lata, fuissent abolita, imo nec legum rigore nec juramentorum religione contra illos publicæ Regni tranquillitati satis cautum esset, cum Papa tam in his, quam illis dispenset, suamque potestatem in Sacra & profana exerceat, atque Henricus III. & IV. Franciæ Reges, etiam non fuerint Protestantes, ideo trucidati fuissent, eoquod Catholicos in Regno suo tolerassent. Postea maledicus hic Orator Anglicanam Religionem subverti querebatur, eoquod Catholicis publica Regni munia committeren

terentur, eisque tam Londini quam in Sæc. XVII.
 Aula agendi libertas, proin etiam sua A. C. 1641.
 consilia exequendi facultas concessa
 fuisset, ac præterea Romæ ad Pontifi- *Thoiras l. c.*
 cis auctoritatem in Anglia stabiliendam *pag. 113.*
 Congregatio Cardinalium, Londini
 vero ad exequendas præfatæ Congre-
 gationis machinationes Rossetus Co-
 mes Papæ Nuntius esset stabilitus. In-
 super vehementius declamabat Pymus
 contra sectæ suæ innovationes, eoquod
 per eas dogmata, ritus Papistici, Al-
 taria, SS. Trinitatis, Christi cruci affixi
 & B. V. Imagines, quas scandalosas
 vocabat, necnon genuflexiones &c. in-
 valuissent, & Protestantes severissimis
 poenis castigati fuissent, eoquod hosce-
 ritus non observarint, librum *de recrea-*
tionibus in die Dominico licitis non præ-
 legerint, Cænæ mensam non immu-
 tarint, novum Catechismum non ac-
 ceptarint, Ecclesiasticorum jurisdic-
 tionem esse Ecclesiæ jure Divino annexam
 non crediderint, novosque Canones
 ab Episcopis inventos rejecerint. Hunc
 sermonem Anglorum potissimi summo
 applausu, Rex vero & Episcopi, in
 quorum injuriam, odiumque hæc pro-
 lata fuere, maximo mœrore excepe-
 runt: Verum læsa exin Regis auctoritas,
 violata Episcoporum reverentia adeo
 non commoverat factiosorum animos,
Hist. Eccles. Tom. LX. li ut

Sæc. XVII. ut mox alius Orator nomine Benjamin
 A. C. 1641. Rudyardus in sua oratione sine ambage

Regem incusaret, quod sub novæ liturgiæ obtentu Papismum invehere, & sub odioso *Puritani* nomine veræ Religionis Sectatores tanquam homines in Regno suspectos traducere intenderit. Hujus declamationem biduo post alia excepit oratio, in qua Digbyus Comes Curiam inferiorem incitabat, ut scriptum ederet, in quo populum de urgente gravamina tollendi necessitate, seu verius de Regis auctoritate penitus evertenda edoceret.

§. IX.

Plures Regi addicti ab Inferiore Curia supplicii affecti.

Salmon hist. d' Angl. t. I. pag. 220. Nalson t. I. pag. 520. Haud parum intempestiva Regis indulgentia ad extremam sui suorumque perniciem contulit; postquam enim Puritanorum violentia territus confenserat, ut Parlamentum, quod initio nonnisi triennale esse voluit, tam diu permaneret, donec turbæ, quas tamen inter turbulentos hosce Viros nunquam defuturas noverat, penitus sedatæ essent, inde Curia inferioris Senatores audaciores effecti, pessumdata Regis auctoritate Parlamentum ita stabiliverunt, ut etiam Regis mandato

dato dissolvi non posset: quocirca mox ^{Sæc. XVII.}
 Regius quidam Minister exclamabat, ^{A. C. 1641.}
hoc die Rex coronam & sceptrum Parla-
mento tradidit, totque erunt Reges, quot
Parlamentarii. Enimvero hi suorum
 numero & potentia freti, præprimis
 cunctos, quos Regi devotos noverant,
 sub diversorum criminum obtentu e
 medio tollere constituunt, ut his pri-
 mo sublatis ipsum quoque Regem omni
 amico & defensore destitutum eo faci-
 lius Regno & vita privare possent. In-
 ter illos, quos morti destinarent, erant
 præcipui. I. Laudus Cantuariensis
 Archiepiscopus, quem Ecclesiasticarum
 innovationum Authorem, belli contra
 Scotos incentorem, Puritanorum ho-
 stem, & Arminianorum Caput esse cri-
 minabantur. II. Straffordius Comes
 Hiberniæ Prorex, cui crimini datum,
 quod Regi addictissimus esset, eumque
 ad evocandos Hibernos contra rebelles
 Anglos incitasset, proin perfidiæ reus
 foret. III. Finckius Regii Sigilli cu-
 stos, quem perniciosum Consultorem,
 Regisque clientem, atque ad invehen-
 dum despoticum Regimen paratissimum
 fuisse dicebant. IV. Franciscus Win-
 debanckius, quem accusabant, quod
 Catholicos protexerit, Sacerdotibus &
 Jesuitis morti destinatis, aliisque Ca-
 tholicis elabendi opportunitatem pro-
 cura-

Sæc. XVII. curarit: denique Regni iudices iniusti-
A. C. 1641. tiae postulabantur: Pariter in plures
 alios, quos vel Regi addictos, vel ejus
 consiliis suffragantes crediderant, tanta
 severitate inquisitum, ut ferme omnes,
 qui adhuc Regi adhærebant, potius
 sua in eum studia abdicare, quam ac-
 cusationis severitati, contra quam Rex
 illos defendendo impar esset, sese ex-
 ponere mallerent: inde vero factum, ut
 Curia inferiore in omnes subditos ter-
 rorem incutiente, Rex uno ferme mo-
 mento se ab omnibus derelictum, at-
 que ad eam necessitatem redactum cer-
 neret, ut omnibus, quæcunque Parla-
 mentum ei præscriberet, consentire co-
 geretur. Eapropter invito Rege Epi-
 scopos, ne Regi auxilio esse possent, jure
 suffragii in Parliamentis & Curii ferendi,
 omnique jurisdictione temporali priva-
 runt, jactato obtentu, quod ejusmodi
 munia Sacris eorum functionibus ob-
 starent, insuper die prima Maij Straf-
 fordix Comitem ac Hibernix Prore-
 gem non alia ex culpa, nisi quod Re-
 gis auctoritatem contra rebelles tueri
 niteretur, pronuntiata mortis senten-
 tia damnarunt. Reclamabat vehemen-
 ter Rex, palam professus, quod nec
 mortis metus, nec vitæ amor adeo un-
 quam in se prævaliturus esset, ut con-
 tra suam conscientiam adeo iniquo ju-
 dicio

Sæc. XVII.
A. C. 1641.

dicio subscribere vellet: Verum inca-
 sum omnia; Puritani enim jam dudum
 in hujus Viri perniciem conjuraverant:
 hunc in finem viginti octo accusationum
 capita producunt, accersunt testes,
 qui conductitia testarentur consensione,
 Comitem fundamentales Regni leges
 evertendi *animum* habuisse: Spargunt
 conflatae conjurationis rumorem, per-
 inde acsi Regis amici copiis Londinum
 accersitis Parlamentum coercere, Co-
 mitemque ex Londinensi Turri armata
 vi eripere machinati essent: Ejusmodi
 suspicionibus populum contra Straffor-
 dium tantopere exacerbarunt, ut factio-
 rum quamplurimi Comitem tanquam
 urbis Londinensis hostem proclama-
 rent, & fustibus, & quæ furor ministra-
 verat, armis instructi Curiaë Ministris
 insultarent, vociferantes: *Justitia, Ju-
 stitia!* ipse etiam Cornellius Burgellus
 Præco Puritanus magnam virorum,
 mulierumque multitudinem concitabat,
 ut inconditis clamoribus sententiæ in
 Comitem latae executionem urgerent;
 nec his contenti, Whitehallam conten-
 derunt, ubi Regiæ Majestati insultan-
 tes, extremam violentiam adhibuissent,
 nisi Deputati, quantumvis ipsimet præ-
 cipui hujus seditionis auctores essent,
 Regicidii tamen calumniam a se amo-
 turi, vim cohibuissent. Tandem vero
 li 3 de-

Sæc. XVII. A. C. 1641. depressa Regis auctoritate, & populo in eundem concitato Curia inferioris Senatores Comitem indicta plane causa, & denegata Advocatorum defensione die decima nona Aprilis capite plecti iusserunt, tantæque immanitati Carolum Regem subscribere compulerunt, quamvis Comes cuncta accusationum capita plene diluisset, ac ipsemet Rex eodem adhuc die coram utriusque Curia Senatoribus palam professus esset, quod licet omnibus iudicii actis contra eum habitis præseus fuisset, salva tamen conscientia ipsum damnare non posset, eoquod Hibernas copias in Angliam deducere, vel leges Regni immutare, nunquam Comiti in mentem venisset, nec talia Regi consuluisset: Hunc autem fidelissimum Regis Ministrum immerito tortoris manu vitam amisisse, sat luculenter probant tot fraudes, & artificia, quæ a Puritanis ad promovendam illius necem fuere adhibita: quod autem trucidato hoc Ministro demum in ipsam quoque Regis vitam conspirarint, adhuc apertius testatur eorum pertinacia, qua nequidem amplissimis favoribus demulceri poterant; quamvis enim Rex incredibili prorsus indulgentia, Anglis cuncta, quæ postulaverant concessisset, imo cum ipsis Scotis rebellibus suis subditis facto in

Sco-

Scotiam itinere concordiae pacta iniisset, & praecipua regni munia ac beneficia juratis suis hostibus contulisset, his tamen omnibus insuperhabitis Curia inferior seposita omni Regiae dignitatis reverentia iniquum foedusoticum approbavit: ita nempe mentes letifera rebellione depravatas nulla benevolentia ex tempore sanat, tunc praesertim, ubi profundius aversio in Sectariorum animos jam antehac Religionis oppositae odio praesumptos descendit.

§. X.

Puritanorum immanitas contra Catholicos.

Inter tot, tamque acerbis vexationes *Rusworth*
Carolo Regi unica auxilii spes reposita erat in fidelitate Catholicorum, *tom. 4. p. 73. & seqq.*
praecipue Hibernorum; quamvis enim *Nelson t. 1. pag. 660.*
huius Regem tanquam *supremum Ecclesiae caput* agnoscere recusarent, fidem tamen suam eidem juramenti Religione obstrinxerunt, quocirca Rex Catholicorum fidelitatem compensaturus, illos singulari patrocinio dignabatur, necnon ad Patris sui exemplum severissimas leges contra illos latas exequi negligebat, atque ad Puritanorum invidiam illos in Aula benigne excipiebat: Postquam

Sæc. XVII. quam vero Curix inferioris impudentia
A. C. 1641. & violentiis Rex non jam Rex, sed vix
 Regis larva, seu verius suorum subdi-
 torum mancipium evaserat, proin haud
 ultra Catholicos protegere poterat, tum
 vero hæretici indomitis furiis in Catho-
 licos debacchari cæperant, & primo
 quidem ipsum Regem incusarunt, quod
 insuperhabitis variis edictis Catholicos
 præsertim recusantes ex Londinensi urbe
 non ejecerit, illos armis non spoliarit,
 plures ob Religionem captos, morti-
 que destinatos in libertatem asseruerit,
 & leges contra eos latas ad executionem
 deduci prohibuerit: postea omnes
 Catholicos militix Tribunos exaucto-
 rarunt, ceteros vero intra decem ab
 urbe Londinensi leucas prohibuerunt,
 in recusantes sine omni clementia in-
 quiri. Goodmanum Jesuitam aliosque
 sex Sacerdotes sprete Regis & Gallici
 Oratoris deprecatione, ea duntaxat ex
 culpa, quod Catholicici essent, capite
 damnari, omnesque Sacerdotes ad pœ-
 nas ab Elisabetha Regina sancitas re-
 vocari præceperunt. Præterea severe
 inquisiverunt in Catholicos, qui ad
 Scoticum bellum Regi pecuniarum sub-
 sidia contulerunt: insuper Patrem Phi-
 lippum, qui Reginx a confessionibus e-
 rat, & PP. Capuccinorum Vicarium jus-
 serunt, ut aperte & sine restrictione
 men-

mentali ad librum Evangelii Puritani & Calvinistici jurarent, an non conati fuerint Regem ad fidem Catholicam reducere, quod dum constanter renue-
 rent, turri Londinensi includebantur: Inhibent quoque Catholicis, ne ad Reginae Sacellum, aut Legatorum Oratoria confluerent: nec ipsi etiam Reginae pepercerunt, sed in eam, quod a Catholicis pro Rege Marito suo subsidium pecuniarium collegisset, quæstionem institui decernant, tum ad ejus custodiam armatum satellitium, cujus antea nullum extabat exemplum, constituunt, acerbiora adhuc in eam tentaturi, nisi sub quæsito Filiam suam Mariam Guilielmo Orangii Principi desponsatam in Hollandiam deducendi obtentu, Londino excedens, securitati suæ consulisset: Denique Hibernos tanquam rebelles ferro, flammisque insectati sunt, eo quod Regem suum contra Anglorum Protestantium violentias defendere, seque, necnon Religionem Catholicam, quam ibidem Parlamentum Anglicum abolere decreverat, tueri moliti essent, inde vero Angli novam Regem suum vexandi, illumque populo suo exosum reddendi occasionem sumpsere, in vulgus spargentes, quod ipse plusquam decem Anglorum millium ab Hibernis interfectorum cædem procurasset,

Sæc. XVII.
 A. C. 1641.

Sæc. XVII. curasset; nunquam enim, addebant ad
 A. C. 1641. majorem huic calumniæ fidem conciliandam, Hiberni Papistæ hanc sævitiam exercere præsumpissent, nisi a Rege ipsis addictissimo instigati fuissent. Postea Westonum Vectis Insulæ Governatorem, eoquod religione Catholicus esse crederetur, sua Præfectura spoliarunt, præcipuos Angliæ Catholicos comprehendi, PP. Capuccinorum Monasterium destrui, hosque Religiosos Regno expelli, ceterosque Sacerdotes, & Domesticos, qui Reginæ a servitiis erant, conscribi jusserant, denique a Principum exterorum Legatis, ut Sacerdotes in eorum Palatiis commorantes extraderent, petierunt, omnesque exteros, nisi Protestantessent, Regno exulare jusserunt: ipsum quoque Regem a Scotia in Angliam reversum populus Whitehalliæ tot injuriis laceffivit, ut Hamptoncuriam profugere cogeretur, quin ibidem a continuis vexationibus & molestiis tutus esset: die enim prima Decembris Curia inferioris Senatores prolixam admodum declarationem, in qua acerbissimis verbis Regis gesta & regimen carpserunt, in vulgus eo fine spargere, ut populum acius adhuc in Regem exacerbarent.

§. XI.

Sæc. XVII.
A. C. 1641.*Anglorum vexatio contra Rossetum
Sedis Apostolicæ Nuntium.*

Nullum eo tempore acerbius fodica-
bant quotidianæ Puritanorum in-
juriam, ac Carolum Rossetum Sedis
Apostolicæ Nuntium; cum enim hic
nec Regi nec Aulicorum præcipuis exo-
sus, insuper Angliæ Reginæ ejusque
Matri Galliarum Reginæ toto, quo a-
pud Filiam suam morabatur, tempo-
re acceptissimus esset, Catholicis in
hoc regno degentibus quietem, atque
ab insolitis vexationibus immunitatem
sedulo procurabat, pluresque ex An-
glicanis Proceribus sua eloquentia ad
Catholicam fidem propensos reddebat,
imo ipsi Regi, ac Ministrorum nonnullis,
quam proficuum Angliæ Regno esset,
Catholicam Religionem revocare, voce
primum, dein & scriptis, Apostolica
firmitate ostendebat. Hæc cum Puri-
tani, sævissimi Catholicorum hostes,
perciperent, impotenti ira perciti, ut
hunc Religionis Catholicæ Promoto-
rem e medio tollerent, domum illius
armati invadunt, eumque summo stu-
dio ad necem exquirunt. Verum hic
mutata veste ad Reginæ Matris ædes
confugit, in quibus tamen nulla habita
Regiæ

Ciacon. vit.
Pontif. t. 4.
pag. 623.
Vid. supra
l. 199. §. 198.
t. 60. p. 321.

Sæc. XVII. Regiæ Majestatis ratione, unius duntaxat diei ac noctis spatio septies ex Curia mandato ad mortem quæsitus est, jamque Puritani de morte Carolo inferenda certi, in publico foro ferale pegma erexerunt. Tandem vero Carolus aliquamdiu inter assiduas mortis angustias in Aula delitescens, hostium rabiem effugit, ac Joannis Justiniani Veneti Oratoris beneficio ex Anglia discessit, Pontificis jussu in Belgium profectus.

§. XII.

*Anglorum & Scotorum Præconum
epistola ad Franciæ, Belgii, &
Helvetiæ Calvinistas.*

*Hist. Eccl.
Jager. l. I.
cap. 6.*

Cum vero Puritani Præcones in Anglia & Scotia vererentur, ne ob detestandam eorum in Regem suum rebellionem a ceteris Calvinistis carperentur, ideo hanc labem a se amoturi instigantibus Curia inferioris Senatoribus ad Calvinianas, Franciæ, Belgii, & Helvetiæ Ecclesias literas dederunt, in quibus suam innocentiam, belli in Regem moti æquitatem, necnon suum pro tuenda reformatâ Religione studium, proximumque periculum, in quo sub Liturgiæ novæ obtentu eadem Religio in Anglia & Scotia versaretur, fufius

fufius exaggerabant: Ita nempe cunctis Sæc. XVII.
 rebellibus Calviniftis femper familiare A. C. 1641.
 fuit, fuam in Reges feditionem tuen-
 dæ Religionis prætextu & calumniis
 in Papam, Catholicosque adinventis
 honeftare. Erat autem fequens hujus
 infamis, & injuriofæ epiftolæ tenor:

„Haud dubitamus, quin calamita-
 „tes, fub quarum onere non tantum
 „ingemifcunt, fed & pene obruuntur
 „Ecclefia & regnum Angliæ, ad veftras
 „aures jam pridem pervenerint; nam
 „proculdubio Antichrifti Negotiatores
 „pari fedulitate apud vos artifices ex-
 „ftitere ferendæ in nos invidiæ, qua
 „alibi locorum detorquent in grande
 „crimen opus reformationis, quod fe-
 „cundum Dei verbum aggredimur, &
 „arma, quibus vitam hanc precariam
 „tuemur, contra molientes excifionem
 „Proteftantium Religionis, & ruinam
 „Reipublicæ, atque sævientes ferro &
 „flamma in ultima Regni viscera. Quo
 „magis eft, quod defideremus in noftra
 „innocentia faltem excufationem tam
 „diuturni silentii, quo hætenus rerum
 „nofttrarum deplorandam conditionem
 „vobis non exposuimus.”

„Verum a fratribus veniam pofci-
 „mus & expectamus, ubi resciverint,
 „magnitudine doloris nos præpeditos
 „fuiſſe; & ex quo in cætum coivimus,
 „usque

Sæc. XVII. „usque adeo tremoris poculo, quod bi-
 A. C. 1641. „bendum exhibuit Deus, attonitos fui-

„se, ut plane nostri officii nescii fueri-
 „mus: jam cum non tam spatium spi-
 „randi, quam penitus cognoscendi mor-
 „bum, qui nos affligit, detur facultas,
 „liceat familiari compellatione exone-
 „rare in finem vestrum dolorem, qui
 „nos urit, vobisque exponere calami-
 „tates, quas perpeffi sumus ab Antich-
 „risti sectatoribus, quorum hic labor,
 „hocque opus fuit, sanctum reforma-
 „tionis opus retardare, & in ejus lo-
 „cum Papismi crassiores sæces reponere.
 „In quo quidem conatu tantum profe-
 „cerunt, ut, nisi Deus, cujus judicia
 „sunt inscrutabilia, & misericordiæ non
 „est terminus, opem præsentissimam
 „afferat, funditus pereundum nobis sit.

„Non vos latet, quantum hæc vi-
 „perina progenies contulerit ad ruinam
 „parandam Ecclesiis reformatis extra
 „Angliam: quam promptis animis ac-
 „cincta fuerit in excidium Palatinatus,
 „& jacturam Rupellæ perfide proditæ;
 „quantumcunque sub specioso prætextu
 „legationum & negotiationum pacem
 „obtenderit, obsessisque & ad incitas
 „reductis, subsidium sponderit; cum
 „tamen re ipsa calamitates eorum fove-
 „rit, auxeritque. Tanto magis odium,
 „quo id genus hominum vos prosequi-
 „tur

„tur, conspectius est; quod eorum ple- Sæc. XVII.
 „rique calumniose exagitent vestras A. C. 1641.
 „Ecclesias, eoquod Præsulem non ad-
 „mittant, sine quo, si illis fides, or-
 „dinationem quamcunque irritam esse
 „temerarie affirmant.„

„Tenenda [nobis esset longior com-
 „mentatio, non Epistola, si singulos
 „actus artesque percurreremus, quibus
 „male ingeniosi homines usi sunt, cum
 „in Magna Britannia, tum in Hibernia
 „in tentanda everfione doctrinæ Prote-
 „stantium stabilitæ, & substitutione in
 „ejus locum Pontificiæ Religionis. Hi
 „enim nihil tam intentatum, nihil non
 „expertum reliquerunt; quin in pluri-
 „mis voti compotes fuerunt: Utque
 „rem gnaviter fatagerent, nec quid-
 „quam ullibi obfaret nefando operi
 „promovendo, sedulam operam nava-
 „runt, ut Pontificii legibus sancitis,
 „quibus in arctum cogebantur, solvè-
 „rentur; caverunt, ne Judices in dam-
 „natos lege patria sacrificulos Jesuitas-
 „que sententiam seu exilii seu mortis
 „ferrent, liberarent potius.„

„Nec leves fuerunt artes in Anglia
 „Hiberniaque, ut cœnobia fundaren-
 „tur, & Juventus, quæ Pontificia re-
 „ligione excoleretur, ad Collegia trans-
 „marina ablegaretur: Sub iisdem au-
 „spiciis Papistarum Coryphæi, quan-
 „tum

Sæc. XVII. „tumvis non permittat lex, in Aulam
 A. C. 1641. „admissi, visique in curia officia cape-
 „fere. Plurimi eorum soluti sunt dam-
 „nis a legibus denuntiatis; cautumque
 „ne in delictis præteritis poena statue-
 „retur, neque in futuris culpa cense-
 „retur. Invisi, qui contra hiscebant:
 „at repugnabant fidi purioris religionis
 „Professores, seu verbi Divini Ministri,
 „sed alii male multati, & persecutio-
 „nibus afflicti. Quæ quidem usque
 „adeo manifesta erant, ut Præsules,
 „eisque addicti Curiones pro suggestu
 „animos plebis inficerent Papismi fer-
 „mento, omnia propemodum Papalia
 „dogmata, nisi forsan illud de Primatu
 „Papæ in temporalibus, docerent, Di-
 „vinumque cultum mixtura sartaginis
 „novorum rituum commacularent, ple-
 „bem adigentes ad eorum observatio-
 „nem, reluctantes vero fulmine cen-
 „surarum ferientes: Hinc factum, ut
 „multi Religionem lucro æstimantes,
 „rebus suis grande compendium credi-
 „derint, non ultra fucum facere, sed
 „sine circuitu se ad Religionem Roma-
 „nam aggregare. Multis vero fideli-
 „bus verbi Divini Ministris ora obtu-
 „rata sunt, quod eis religio esset, su-
 „perstitiosas constitutiones amplecti, &
 „pro concione ad plebem recitare pes-
 „simi exempli pejorisque moris librum,
 „Supe-

Sæc. XVII.
A. C. 1641.

„Superiorum permiffu editum, quo da-
 „batur licentia, die Dominica in eos
 „lufus exspatiari, quos ne quidem pro-
 „felfis diebus ullæ reformatæ Ecclefie
 „admittunt. Ex eo multa millia ho-
 „minum alio abiere; pars in Ameri-
 „cam delata, pars inter vos fedem po-
 „fuit. Grave eft, quanquam irritato
 „nato, quod homines male feriati nu-
 „per tentaverint, novum rituale novum-
 „que librum Canonum obtrudere fra-
 „tribus Scotis: Quos ubi refpiffet gens
 „domus Dei Zelo calens, & ab omni-
 „bus Papalibus reliquiis maxime aver-
 „fa, Regis Sereniffimi animum perpu-
 „lerunt, ut tanquam in perduelles &
 „hostes animadverteret, armis com-
 „pelleret ad recipiendum, quod admit-
 „tere ex conscientie dictamine præpe-
 „diebantur. Post hæc numerofus exer-
 „citus adverfus Scotos tanquam rebel-
 „les contra Regem ducitur, fuppedi-
 „tantibus inprimis Papismo faventibus
 „pecuniam fatis largiter. Sed ante-
 „quam ad manus veniretur, placuit
 „Deo, Regi inspirare hanc bonam
 „mentem, ut Comitiam Regni Angliæ
 „ediceret; quibus intercefforibus factum
 „eft, ut confiterit de fratrum innocen-
 „tia, & de injuria illata ab hostibus
 „Veritatis, paxque inter duo Regna
 „constabiliretur; alioquin invicem fe-
 „cum

Hift. Eccleſ. Tom. LX,

Kk

Sæc. XVII. „cum commissura, & in mutuas cædes
 A. C. 1641. „exarsura. Quin ex occasione discor-
 „diæ facta est firmiter animorum confo-
 „ciatio, & concordia inter fratres redin-
 „tegratio; usque adeo, ut, Deo aspi-
 „rante, consultationibus Delegatorum
 „utriusque Regni, & concurrentibus votis
 „bonorum per universam insulam, qui-
 „bus idem Deus dederat lugere peccata
 „præterita, & serio ad se reverti, atque
 „desiderio purioris Religionis flagrare,
 „affulserat spes repurgandi Domum Dei,
 „nemine contradicente, saltem obstan-
 „te, liberatosque nos crediderimus,
 „ac diebus afflictionis deinceps succes-
 „suros dies refrigerii.”

„Sed rem longe aliter se habere
 „com erimus; nempe Deus, qui Se-
 „cretis tantum plagis hætenus nos of-
 „ficii monuerat, nunc Leonis instar ru-
 „gientis bellum peccatis nostris aper-
 „tum indicit. Sit nomen ejus bene-
 „dictum: gravia patimur, sed graviora
 „nos commeritos ultro fatemur; attra-
 „men in ejus amore & ope, quam af-
 „futuram tempore opportuno confidi-
 „mus, conquiescemus. Hostes ergo
 „nostri a spe res innovandi in Scotia
 „depulsi, ferocius tanto investiti sunt in
 „Parlamentum, totum circa reforma-
 „tionem in religionis negotio intentum:
 „intenti in primis fuerunt in omnes
 „occa-

Sæc. XVII.
A.C. 1641.

„occasiones. ut Regis animum avoca-
 „rent a Parlamento: Regia facilitate
 „confisi, crimina in se intentata elude-
 „rent, & in Hibernia excitarent rebel-
 „lionem, in qua, si fides est ipsis Pon-
 „tificiis, qui ejusmodi clades, tanquam
 „opima spolia, jactant, centum Pro-
 „testantium millia ad necem data sunt.
 „Quin ipsis authoribus, Rex selectos
 „aliquos Senatores ex utraque Camera
 „postulavit reos criminis Majestatis, &
 „armata manu comprehendere tentavit;
 „nec instare desierunt, quin perpulerint,
 „ut, deserto Parlamento, alio se-
 „cederet, & conscriberet exercitum,
 „extrema quæque minaturus. Qui qui-
 „dem exercitus ad fucum faciendum,
 „edicto ad id promulgato, circa initia
 „conflatus fuit, aut potius conflari cre-
 „ditus, pro solis Protestantibus & in caus-
 „sam Protestantium; ad cujus exercitus
 „signa nihil subdoli latere timentes Pro-
 „testantes, alioqui Regiarum partium
 „sequaces, agminatim confluerent:
 „nam mox fraus patuit, Pontificiis
 „tam, qui in Anglia, quam qui extra
 „Angliam, assiduis precibus & votis
 „supplicantibus, ut causæ Catholicæ
 „in Anglia agitatæ felix successus re-
 „sponderet, & quandoque jactabundis,
 „in hæc erumpentibus: brevi postea
 „non amplius locum futurum dissimu-
 „latio

K k 2

Sæc. XVII. „lationi, se statim affuturos in armis
 A. C. 1641. „a Regiis partibus, quam primum Pro-
 „testantes in easdem partes tracti fue-
 „rint magno numero, & eis haud tu-
 „tum, nec specie honorificum referre
 „pedem, fuerit: quod & eventus com-
 „probavit. Nam ingens multitudo
 „Protestantium, quorum pars sub ob-
 „tentu conservandæ religionis lege as-
 „sertæ, tuendæ regalis prærogativæ
 „illibatæ & privilegiorum Parlamenti
 „intra præscriptos cancellos continen-
 „dorum: Pars vero perduellioni, pecu-
 „latui obnoxia, eoque nomine a su-
 „prema Senatus curia in crimen vo-
 „cata, aliique sibi male conscii, cum
 „tota colluvie ganeonum, erroneum, a-
 „leatorum, & ejusmodi farinæ homi-
 „num, quibus ex raptò dulce est vi-
 „vere, nec Religio curæ est, in partes
 „Regias ex æquo concessere; quos pro-
 „xime exceperè, si non armis, saltem
 „voto & pecunia, Episcopi illisque ad-
 „juncti Decani, Archidiaconi, totaque
 „cohors Novatorum, quibus sæces Pa-
 „pales cordi sunt. Tum demum om-
 „nes Pontificii, quos capit hæc insula,
 „quibus ad benevolentiae indicium nulla
 „hactenus injuria illata; quin & non
 „nullibi gratia facta, missaticos cœtus
 „publice frequentandi: Protestantibus
 „interim, etiam minus faventibus Par-
 „lamenti.

„lamento, dura passis; prodire in a-Sæc. XVII.
 „renam muniti Regio Diplomate, & A.C. 1641.
 „promissis deliniti, fore, ut pro armis,
 „si quæ deperderent, pretium exsolve-
 „retur, eorumque primarii ad Præfe-
 „cturas acciti. Et ne quid causæ ca-
 „tholicæ promovendæ deesset, largum
 „auctarium militum, pecuniæ & com-
 „meatus accessit ex Nationibus trans-
 „marinis, quibus æquitatem causæ
 „sux fucō mentiti fuerant. Hac ho-
 „minum immensa manu, hisque sub-
 „sidiis, horrendum dictu, quantam,
 „quam latam edant stragem; quibus &
 „quot deprædationibus, incendiis, &
 „cædibus totam Angliam compleant,
 „& addictos causæ purioris religionis
 „persecutionibus affligant.,

„Porro, quanquam suprema Curia
 „omnem lapidem movisset, ut regni
 „propugnacula, classisque tutis mani-
 „bus committerentur, & necessario
 „bellico apparatu conquisito, se suaque
 „protegeret, adversus furores istorum
 „belli incentorum, qui Regio nomine
 „abutentes, legem, libertatem, & re-
 „ligionem abrogatum ibant. Ea ta-
 „men fuit hominum prava solertia in
 „sensibus abscondendis, & prætexendo
 „speciosas causas ausis suis, an potius
 „ea fuit iusta ira Dei excandescens in
 „nos abusos longiusculam pacem, ut
 „hacte-

Sæc. XVII. „hactenus nihil postulatis, libellis sup-
 A. C. 1641. „plicibus profecerimus, quo Regem ex
 „impiorum manibus seu subduceremus,
 „seu eriperemus, eosque coram supre-
 „mo tribunali siteremus, pœnas debi-
 „tas persoluturos: Quin per totam An-
 „gliam fax belli est accensa. Ad cu-
 „mulum miseriarum eo pertraxerunt
 „Regem, ut non solum Hibernos Re-
 „belles appellatione subditorum *Roma-*
 „*no - Catholicorum, nunc in armis, &c.*
 „dignaretur, sed eis indulgeret indu-
 „cias in duodecim menses, ea potissi-
 „mum tempestate, qua res eorum con-
 „clamatae erant: per quam quidem ar-
 „morum cessationem, gens nata ad oc-
 „cisionem, & qua non alia crudelior
 „& immanior, milite, pecunia, armis,
 „& comœatu locupletata, nacta sit
 „viam compendiosam, male parta pes-
 „sime retinendi, & quod ibi reliqui est
 „Protestantium absumendi, ventilandi-
 „que in Angliam; in qua, quod in
 „præsens agunt, trucidant Protestantes,
 „pari laniena, & carnificina, quam
 „in Hibernia inter Protestantes exer-
 „cuerunt. „

„In hac rerum nostrarum miseranda
 „facie, inter tot luctus & ejulatus, Rege
 „adverso votis & inceptis nostris, per
 „fraudem & nequitiam adversariorum,
 „utraque Camera Procerum, Consilium
 „a no-

„a nobis poscit super reformatione Ec-
 „clesiæ: utque negotium feliciter pro-
 „cedat, nos convocavit in cætum, de-
 „liberaturos de repurganda nostra Ec-
 „clesia, impuritatibus & humanis com-
 „mentis & additamentis; deque con-
 „stituenda reformatione ex præscripto
 „verbi Divini, eaque uniformi per om-
 „nes ditiones Regis nostri, ac quan-
 „tum fieri poterit ad normam Ecclesia-
 „rum purioris notæ, accedente; cui
 „operi incumbere cæpimus non infelici-
 „ter cum bono Deo, jubente, ne par-
 „vorum dies contemptui sit.,

„Hactenus, fratres reverendi & di-
 „lecti, habetis in brevi quasi tabella
 „imaginem, an potius umbram, in qua
 „rudi penicillo exprimitur, quæ lügen-
 „da sit nostrarum rerum facies. Liber-
 „tas nostra proculcata, bona direpta,
 „& dilapidata, Domus effractæ, san-
 „guis in terram effusus, aliaque cha-
 „rissima adempta; tot sunt plagæ, quæ
 „in nos quasi fœdere factæ irruunt: Si
 „Deus velit hæc corpora alga viliora
 „ad terram dari, & pedibus concul-
 „cari, fiat ejus voluntas. Quicquid
 „pateremur: quin libenter totum san-
 „guinem profunderemus, dummodo,
 „quod superest Sanctorum, a furore
 „Antichristi assecularum vindicaremus,
 „& per nostrum latus religionem Sa-
 „nio-

Sæc. XVII. „niorem vulneratam, & cum ea impe-
 A. C. 1641. „titas Ecclesias omnes reformatas, ex-
 „tra periculi aleam, assereremus. Nam
 „quod gravissimum est, & quæ est ad-
 „versariorum rabies, haud sanguine
 „nostro satiata, non tam accenta est
 „in nos qua peccatores, quam quia
 „veram religionem profitemur, tuemur-
 „que; eoque vota conatusque conspi-
 „rant, ut toti vacemus reformationis
 „operi.,

„Quod si Deus nos ad prædam
 „exponeret eorum dentibus confringen-
 „dos; tremendum relatu, quam opa-
 „cis tenebris, vinculis artis, & per-
 „secutionibus sævis involverentur, quot
 „quot inter nos recusarent caractere
 „bestiæ signari? Et quid non vobis con-
 „jicere datur, passuras ad exemplum
 „reliquas Ecclesias reformatas a bestia
 „ex abyfso ascendente; necnon a mu-
 „liere, quæ jam dudum sanguine San-
 „ctorum inebriata, tanto atrocius nunc
 „persequitur Chorum virgineum agni
 „comitem, antequam in exilium ruat?
 „Ordines & Ecclesia regni Scotiæ nul-
 „lum officium studii & benevolentiae
 „erga nos prætermiserunt, quo con-
 „flagrans apud nos incendium relin-
 „querent, Regiam Majestatem postula-
 „tis, Declarationibus & libellis suppli-
 „cibus, quam vel mollirent, vel flecte-
 „rent,

„rent, adiverunt: mox sequestres pa- sæc. XVII.
 „cis & intercessores se obtulerunt: tan- A. C. 1641.
 „dem ubi Regis aures nullis consiliis,
 „hortationibus & precibus patere anim-
 „adverterunt; mutuo se foedere cum
 „Ecclesia & regno Angliæ devinxerunt,
 „armaque foederata sociarunt pro
 „communi causa Religionis propugnanda,
 „pro incolumitate Regis ejusque
 „Regia dignitate & autoritate asserenda,
 „atque vindicanda Patriæ libertate,
 „adversus sceleratam factionem,
 „ut fufius habetur in Declaratione Scotorum
 „nomine edita, & in solemni foedere
 „trium Regnorum; quibus luce meridiana
 „clarius boni quique videntur Scotorum
 „pectus fidum & candidum, & nullis
 „sinistris interpretamentis & suspitionibus
 „obnoxium. Autoritate illius regni missi
 „sunt Delegati, quorum nomina posterius
 „subjuncta sunt, ut sub auspiciis Ordinum
 „Angliæ partem cætus Ecclesiastici
 „constituant, operamque in commune
 „conferant pro stabilienda uniformitate
 „religionis in utroque regno: Secundum
 „quæ iidem Delegati per præsentibus vobis
 „notum faciunt, quam alacris animis hic
 „conspexerint coronam amplissimam tot
 „virorum Doctrina, pietate, & prudentia
 „præcellentium: quos offenderint occupatos
 „circa
 K k 5 „ædifi-

Sæc. XVII. „ædificationem domus Domini, & ja-
A. C. 1641. „cienda fundamenta doctrinæ & disci-

„plinæ: quo nomine, & pro ratione
 „Christianæ Charitatis, qua colligan-
 „tur, & fœderis inter Anglos & Sco-
 „tos initi, obstrictos se reputant id o-
 „peræ sociare cum fratribus Anglis,
 „in compellendis pariter reformatis Ec-
 „clesiis, extra magnam Britanniam, eis
 „exponentes, quæ sit hic rerum turba-
 „tarum conditio, ut falsis rumoribus
 „& suspicionibus eatur obviam.,

„Quod superest, id primum roga-
 „mus, fratres, ad quorum æquitatem
 „provocamus, ut ex æquo & bono de
 „nobis & afflicta causâ judicetis, nec
 „aurem accommodetis iniquis adver-
 „sariorum judiciis; neve apud vos va-
 „pulemus tanquam rebelles, & arma
 „sumentes contra proprium Dominum;
 „quibus decretum sit apud se Regiam
 „dignitatem & authoritatem arctiori-
 „bus cancellis concludere, atque Anar-
 „chiam in Ecclesiam Dei introducere:
 „quas calumnias abunde diluet fœdus
 „Nationale, cujus apographum ad vos
 „mittimus: nempe non satis fuit filiis
 „Belial concitasse Regis iram in nos,
 „nisi insuper Regio nomine abuteren-
 „tur, ut manus effugiant supremi Se-
 „natus, a quo postulantur læsæ Maje-
 „statis, violati juris municipalis, &
 „Reli-

„Religionis corruptæ. Adversus ejus-
 „modi homines contestamur, & pro-
 „fitemur arma a nobis sumpta; justam-
 „que defensionem a nobis oppositam
 „eorum armis. Judicet justus Domi-
 „nus, cujus non ulterius opem posci-
 „mus, quam quatenus hæc a nobis
 „sunt sincero animi affectu allegata.
 „Faxit Deus, ut fratres hæc serio ani-
 „mo volent, eisque innocentia nostra
 „probetur, quam etiam apud suos
 „prædicent.,

Sæc. XVII.
 A. C. 1641.

His ita nequiter expositis, tandem
 hi Præcones a ceteris Calvinistis pete-
 bant, ut ipsis auxilio essent, eosque
 a prætenso discrimine eriperent.

§. XIII.

*Scotorum rebellium animadversiones
 in librum Liturgiæ.*

Quoniam vero non modo Catholici,
 sed etiam moderatiores Angli, &
 Calvinistæ Puritanis non raro exprobra-
 rent, quod ob novam Liturgiam, li-
 brumque Canonum, aliosque ritus,
 quos salva religione sua acceptare po-
 tuissent, immerito tot turbas excita-
 rint, universam Hierarchiam, & Epi-
 scopalem Ordinem everterint, ac de-
 nique Regem suum, eique addictos in-
 festis armis, calumniis, molestiis, in-
 juriis,

Act. publ.
 Eccl. Scot.

Sæc. XVII juriis, carceribus, mortisque suppliciiis
 A. C. 1641. infectati fuerint, hinc scriptum quod-

dam in vulgus sparsere, in quo causas,
 propter quas Liturgiam rejecerint,
 mordaci prorsus calamo exposuerunt:
 & quidem *primo* hunc librum se detestari aiebant, „quia obtruditur sine ullo
 „prævio Ecclesiæ hujus consensu & ap-
 „probatione in Synodo nationali, pe-
 „nes quam proprie hujus generis ne-
 „gotia definiuntur. *Secundo* quia legi-
 „timam & longo usu receptam cultus
 „divini externam formam prorsus abo-
 „let, ac in ejus locum substituit aliam
 „a Pontificiis mutuata, & ex Missali,
 „Ritualis, ac Breviario Romano defum-
 „ptam, quæ plurima superflua, ridicu-
 „la, ac superstitiosa continet, semina
 „etiam gravissimorum errorum ac ido-
 „latriæ, ac in multis Anglica Litu-
 „rgia deterior est. „

„Inter alia ridicula ac superstitiosa,
 „quæ a Pontificiis mutuatur, hæc sunt.
 „Nam *primo* Presbyteri tenentur matu-
 „tinas & vespertinas illas preces singu-
 „lis diebus publice vel privatim præ-
 „legere, pag. libri illius 7. Porro si
 „privatim & solus prælegat, quis usus
 „responsionum per populum? nisi forte
 „intelligendum sit, debere Presbyterum
 „sibi respondere nomine Ecclesiæ, quam
 „repræsentat: & sic preces hæc, cum
 „sint

„sint publica auctoritate institutæ, & Sæc. XVII.
 „prolatæ a publica persona, deputata A. C. 1641.
 „ab Ecclesia ad orandum nomine suo,
 „& hac intentione, ut expleat munus
 „suum: quid aliud erunt quam preces
 „illæ Papistarum publicæ, seu horæ
 „Canonicæ, quarum duæ ex septem
 „reponuntur? Vid. Bellarm. Tom. 4.
 „Controvers. Lib. I. De bonis operibus
 „in particulari, Cap. X. *Secundo.* Nul-
 „lus certus locus destinatur matutinis
 „& vespertinis precibus publicis; sed
 „remittitur arbitrio Episcopi, qui se-
 „dulo studebit templorum formam ad
 „tempora præcedentia revocare, hoc
 „est, quando Papismus regnabat, ad
 „similitudinem scilicet templi Salomo-
 „nis, divisi in porticum, navim & Sa-
 „crarium. *Tertio.* Quædam alta voce
 „a Presbytero proferenda sunt, alia
 „vero voce submissa; quæ forma Pon-
 „tificiis consueta est in mysterio Missæ;
 „preces etiam quædam, Confessio fidei
 „jubentur legi aut cani, cum tamen
 „in metrum non redigantur. *Quarto.*
 „Licet situs corporis indifferens sit, in
 „quibusdam tamen precibus indicitur,
 „ut genibus flexis precemur, in aliis
 „ut stemus, in aliis vero nullus om-
 „nino Corporis situs imperatur. Et
 „aliquando populus jubetur orare, non
 „Presbyter; & vice versa aliquando
 „popu-

Sæc. XVII. „populus jubetur comprecari cum Pres-
 A. C. 1641. „bytero, quandoque repetit, quando-
 „que respondet, & aliàs orationem in-
 „ter se dividunt: jubetur Presbyter ali-
 „quando faciem ad populum conver-
 „tere, aliquando vero avertit: stare,
 „cum legitur Evangelium, sedere cum
 „prælegitur Epistola, genuflectere, cum
 „Decalogus. Quam frequentem oportet
 „esse libri revolutionem a Psalmis
 „ad collectas, ab iis ad hymnos, inde
 „ad Psalmos, ad lectiones, ad Lyta-
 „niam. Quinto. Exotica prorsus phra-
 „seologia Papismum redolet; etenim
 „plurimas habet voces Scotis penitus
 „barbaras, [a Romanis Sacris omnes
 „mutuatas: v. gr. *Matutinas, vespertinas,*
Adventum, Epiphaniam, Septuagesimam,
Sexagesimam, Quinquagesimam,
Dominicam Rogationis, loci Ordinarium,
Collectas, Lytanas, Venite, te Deum,
Benedictus, Magnificat; nunc dimittis,
Sabbatum, Cantate, Dies cinerum, ob-
lationes, antiphonas, puerperarum purifi-
cationem, Actorum Apostolicorum, &
Prophetarum V. T. Quædam capita dic-
cuntur Epistolæ, offertorium, Annuntia-
tio Domine nostræ, officiare, Corporale,
utraque species &c. Insolitæ & exotice
 „hæ voces, quibus perstringuntur po-
 „puli aures, metus haud injusti ansam
 „præbent, ne sub Latinorum illorum
 „ver-

Sæc. XVII.
A. C. 1641.

„verborum involucro lateant etiam Sa-
 „cra Latina. *Sexto.* In Calendario
 „Sanctorum numero adscribuntur qui-
 „dam: qui tamen an *atri* fuerint an
 „albi, ignorantur, v. g. *Lucianus, Rex*
David, Kinligernus, Fabianus, Agnete,
Vincentius, Blasius, Valentinus, Colman-
nus, Patritius Episcopus, Guthertus,
Benedictus, Gilbertus, Servius, S. Gre-
gorius, Dunstanus, Suithinus, Nomen
Jesu, Ægidius, Ninianus, Adamannus,
Sapientia, Crispinus, Hugo Episcopus,
Sylvester &c. *Septimo,* Confessio pec-
 „catorum & absolutio ante orationem
 „prælegi jubetur, pag. 25. quasi vero
 „confessio non esset precatio, & in ea
 „multa a Domino non peterentur.
 „*Octavo.* Verba illa conclusoria oratio-
 „nis Dominicæ, quia tuum est regnum
 „&c. aliquando omitti jubentur, ali-
 „quando recitari; & cui bono? *Nono.*
 „*Singulis diebus Te Deum laudamus* præ-
 „legi aut cani jubetur, quasi hymnus
 „ille, ab hominibus compositus, Psal-
 „mis omnibus, a Spiritu Sancto dicta-
 „tis sanctior esset. *Decimo.* Presbyter,
 „Clerici, & populus alta voce simul
 „omnes repetant orationem *Dominicam,*
 „pag. 42. quam hoc confusum, & an
 „non Presbyteri sint ex Clero? *Un-*
 „*decimo.* In *Lytania,* complurima no-
 „mina & titulos Deo adscribunt, &
 „mul-

Sæc. XVII. „multoties unam eandemque oratio-
 A. C. 1641. „nem repetunt, *œtius libera nos Domine,*
 „& vicies & bis *te rogamus audi nos.*
 „Presbyter designat solum mala, quæ
 „populus orando petit. *Duodecimo.* Per
 „mysterium sanctæ Incarnationis, Na-
 „tivitatis, Circumcisionis, Baptismi,
 „jejunii & tentationis tuæ, per ago-
 „nem & sanguineum sudorem, per
 „crucem & passionem, per pretiosam
 „mortem & sepulturam, per gloriosam
 „Resurrectionem, & Ascensionem tuam
 „in Cælum, libera nos Domine; quid
 „hoc est aliud, quam mera adjuratio?
 „*Decimo tertio.* Post 44. orationes, inter
 „quas una est oratio Dominica, dicunt,
 „precemur, quasi præcedentia omnia
 „in orationum censu non veniant. *De-*
 „*cimo quarto.* Observandum, quod in
 „lectionibus S. Cœnæ destinatis Epi-
 „stola ponatur ante Evangelium, quod
 „gratiæ non referantur Deo post lectio-
 „nem Epistolæ, cum tamen sollicite
 „cautum sit, ut Evangelii lectionem
 „clauderet semper doxologia. *Decimo*
 „*quinto.* Dicitur, Innocentes illos In-
 „fantes, ab Herode crudeliter necatos,
 „testes fuisse Christi, seu Martyres, &
 „Dei laudes expressisse non loquendo,
 „sed moriendo. Ubi varia sese produnt,
 „tum quod infantes illi sine ulla expli-
 „catione dicantur Innocentes, quod
 „Pela-

„Pelagianismum redolet: & quod om- Sæc. XVII.
 „nes in genere testes seu Martyres A. C. 1641.
 „Christi dicantur; cum tamen nec ha-
 „bitu nec actu martyres dici possint:
 „non habitu seu animi resolutione,
 „multo minus actu; cum nec pro fide,
 „quam ignorarunt, nec in fide omnes
 „mortui vere & firmiter dici possint.
 „*Decimo sexto.* In Collectis tertiæ &
 „quartæ Dominicæ post Epiphaniam, &
 „in Septuagesima prælegitur depreca-
 „tio quorundam periculorum, quasi
 „dies illi magis fatales essent aliis.
 „*Decimo septimo.* In collecta tertiæ Do-
 „minicæ Quadragesimæ petitur tutela
 „contra hostes, quasi dies illa huic pe-
 „riculo magis subjiceretur aliis, aut
 „quasi preces illo die prælectæ ad ma-
 „lum illud præcavendum sufficerent.
 „*Decimo octavo.* Dies Passionis tres ha-
 „bet collectas, cum alii unam, alii
 „vero nullam prorsus habeant. *Deci-*
 „*mo nono.* In collecta duodecimæ Do-
 „minicæ post Trinitatem petitur, ut ea
 „largiri velit Deus, quæ precibus ro-
 „gare non audemus: an hæc est Chri-
 „stianorum *πληροφορία*? *Vigesimo.* No-
 „tandum, omnes fere collectas de ver-
 „bo ad verbum translatas esse ex Mis-
 „sali Romano. *Vigesimo primo.* In ru-
 „brica S. Cœnæ præfixa, sacra mensa
 „instrui jubetur tapete, & mundo pan-
 „

Sæc. XVII. „no lineo, & aliis decoris utensilibus;
A. C. 1641. „in quorum numero quin veniant su-
 „perstitiosa illa omnia, quibus altaria
 „sua ornant Papistæ, vid. *Crux, can-*
 „*delæ, phylacteria, substratoria*, quid im-
 „pediet? præsertim cum hæc sibi di-
 „splicere nullibi ostenderit libri hujus
 „Architecti. *Vigesimo secundo.* Jubetur
 „Presbyter officiatorus stare ad Septen-
 „trionalem altaris partem seu latus,
 „quem vestitu missatico indui oportet,
 „bit, si ita Episcopis visum fuerit: nam
 „Anno 1633. nihil ad summam dili-
 „gentiam reliqui fecerunt, ut Regi Se-
 „renissimo concederetur facultas, quem
 „vellet Pastoribus habitum in sacris im-
 „perandi. *Vigesimo tertio.* Post repeti-
 „tam Orationem Dominicam jubetur
 „Presbyter facie ad populum conversa
 „clare & distincte recitare Decalogum;
 „& populus jubetur sese interea in ge-
 „nua provolvere: unde satis innuitur,
 „aversa a populo facie recitandam esse
 „a Presbytero orationem Dominicam,
 „& submissa etiam voce; quærendum
 „porro, cur populo genuflectendum
 „sit, dum prælegitur Decalogus, &
 „idem situs corporis non urgeatur, dum
 „precatio Dominica recitatur? *Vige-*
 „*simo quarto.* Ecclesiæ æconomo vel
 „Diacono mandatur, ut pelvim cum
 „fidelis populi oblationibus summa cum
 „revere-

„reverentia Presbytero officianti offe- Sæc. XVII.
 „rat, qui eandem submissa genuflexio- A. C. 1641.
 „ne altari imponet, ac Domino offe-
 „ret. Ubi latet (1.) judaismus, dum
 „Deus præsens supponitur magis in al-
 „tari ante consecratam Eucharistiam,
 „quam alibi, quod commentum ne-
 „queunt vel ipsi Pontificii deglutire.
 „(2.) Papismus, tum dum populi ob-
 „latio præcedit sacrificium, tum dum
 „duæ oblationes statuuntur; altera pe-
 „cuniæ, altera panis & vini. *Vigesi-*
 „*mo quinto.* Sæpius imperatur genu-
 „flexio, cum nullibi tamen reperitur
 „mandatum præparationis seriæ ante
 „communione & spiritualis ac interni
 „cultus in ipso actu. *Vigesimo sexto.*
 „Permittitur uti pane illo azymo ro-
 „tundo, hostias nummularias vocant
 „alii. *Vigesimo septimo.* Jubetur Pres-
 „byter pro Rege orans stare, duæ item
 „ponuntur orationes pro Rege, nulla
 „pro Regina & regis Liberis. *Vigesi-*
 „*mo octavo.* Festos dies septimanæ sub-
 „sequentis inter celebrandam Cœnam
 „significet Presbyter. *Vigesimo nono.*
 „Si infrequentius aut negligentius ad
 „Communione accesserit populus,
 „inter ipsa Cœnæ sacra ad Commu-
 „nionem eundem hortari jubetur Pres-
 „byter: Porro cum eum certiozem fe-
 „cerit populus de accessu suo, uti in
 L 1 2 „alia

Sæc. XVII. „alia rubrica tenentur, quo fine adhi-
 A. C. 1641. „betur hæc adhortatio? Quodsi nomi-
 „na sua communicaturi non designarint,
 „neque iis statutum fuisset communi-
 „care, nisi forte per eam adhortationem
 „animi propositum mutaverint, an sta-
 „tim admittit Presbyter, etiamsi de
 „scandalis Ecclesiæ non satisfecerint?
 „& si tunc admittantur, an licebit cen-
 „suram illam illius scandali nomine
 „postea illis infligere? *Trigesimo*. Qui-
 „dam dies sacri proprias præfationes
 „habent, quidam non, & quare? *Tri-
 „gesimo primo*. Mandatur Presbytero
 „officianti stare, non genuflectere, cum
 „orationem consecrationis recitat: &
 „in eo loco consistere, quo facilius &
 „majori cum decore utraque manu uti
 „possit, cum interim solus ad altare
 „stet. pag 207. Quærendum merito,
 „quid illud sibi velit: ut utraque ma-
 „nu uti, vel utramque exercere possit?
 „an ut imagines crucis in aere formet?
 „an ut patenam & calicem in altum
 „elevant? & an non diserte rubrica hac
 „statutum sit, ut ad occidentalem alta-
 „ris partem consistat, facie a populo a-
 „versa, & ad orientem conversa? De-
 „liramenta & nugæ theatricæ sacro-
 „sanctam Domini cœnam in comœdiam
 „transmutant, & Dei cultum infide-
 „lium ludibrio ac piorum dolori expo-
 „nunt.

„nunt. *Trigesimo secundo.* In oratione Sæc. XVII.
 „consecratoria verba institutionis per A. C. 1641.
 „modum orationis ad Deum dirigun-
 „tur, non ad populum, prout consti-
 „tuit Christus. *Trigesimo tertio.* Licet
 „liturgia cœnæ ab oratione Dominica
 „inceperit, nunc tamen post oblatum
 „Christum pag. 209. repetitur, præmis-
 „sa & notabili hac clausula, audemus di-
 „cere, qua innuitur absque confidentia
 „prius prolatam fuisse, quia scilicet non-
 „dum oblatus fuit Christus; nugæ me-
 „ræ papales. *Trigesimo quarto.* Jube-
 „tur Presbyter pecuniam oblatam di-
 „videre, & semissem sibi sumere, ut
 „esca scilicet hac facilius capiatur, &
 „hamum opertum deglutiat. *Trigesi-*
 „*mo quinto.* Dicitur expedire, ut lingua
 „Anglica celebretur baptismus, & cur
 „idem non notatur in reliquis cultus
 „divini partibus? & an non alicubi in
 „Regno Scotiæ magis expediat sacra
 „omnia celebrare lingua Hibernica,
 „quæ sola multis cognita est? *Trigesi-*
 „*mo sexto.* Dicitur, veteres baptismum
 „administralle tantum in Paschate &
 „Pentecoste, & consuetudinem hanc
 „imitandam nobis esse, quam prope
 „fieri possit, licet in solidum revocan-
 „da non sit, pag. 215. Quærendum,
 „cur hic facta mentio vetustæ illius con-
 „suetudinis? an ut ostendatur, Patres
 L 1 3 „non

Sæc. XVII. „non judicasse baptismum simpliciter
A. C. 1641. „esse necessarium? quod libri hujus
 „authoribus in mentem venire non
 „potest, quandoquidem satis diserte
 „postea affirmant baptismi necessitatem:
 „an vero ut patres illi accusentur de-
 „sidiæ & negligentia salutis infantium?
 „sed cur quæso tum monent patrum
 „vestigia, quam presse fieri poterit, pre-
 „menda esse? turpe est Doctori, &c.
 „*Trigesimo septimo.* in celebratione ba-
 „ptismi pag. 215. Susceptores, non
 „vero parentes, monentur, ut fonti ad-
 „sint: & miris elogiis fontis illius ba-
 „ptismalis sanctitas celebratur: quæ
 „quæso major efficacia fontis quam
 „pelvis? *Trigesimo octavo.* Licet curato
 „significatum sit infantem esse baptizan-
 „dum, rogare tamen debet, an hacte-
 „nus baptizatus fuerit? *Trigesimo nono.*
 „Fontis baptismalis peculiaris institui-
 „tur consecratio, & singulis mensibus
 „mutanda est bis aqua, & consecran-
 „da, pag. 216. *Quadragesimo.* Ad imi-
 „tationem veterum, qui adultioribus
 „baptizandis interrogata quædam pro-
 „posuerunt ante baptismum, videlicet:
 „an credis? an renuntias diabolo, &
 „omnibus operibus ejus, ac inani pom-
 „pæ mundanæ? an baptizari vis? &c.
 „Eadem interrogata infantibus hic sa-
 „tis ridicula proponuntur, quorum vice
 „re-

„respondere iubentur susceptores: Ego Sæc. XVII.
 „credo firmiter, volo baptizari, &c. A.C. 1641.
 „*Quadragesimo primo.* Susceptores, non
 „vero parentes, tenentur infantem in
 „fide instituere. *Quadragesimo secundo.*
 „Dicitur, duo in baptizandis requisita
 „esse, pœnitentiam & fidem: quæ
 „præstant infantes per susceptores suos:
 „an hæc satis sana? Nam cum bapti-
 „zantur infantes, quia in fœdere sunt,
 „quo Dominus promisit se fore Deum
 „parentibus & femini eorum, & infan-
 „tes non sunt susceptorum seu patrinor-
 „um semen & liberi, quomodo pote-
 „rit susceptorum illorum fides & pœni-
 „tentia infantibus illis prodesse? *Qua-*
 „*dragesimo tertio.* In liturgia matrimonii
 „pag. 242. In peragendis matrimonii
 „sacris sponsus annulum habet, quem
 „sponsæ non tradet, priusquam Pres-
 „byteri libro imponatur: hoc scilicet
 „supplet vicem Pontificiæ benedictionis
 „per aquam lustralem. Annulum hunc
 „presbyter tradit sponso, qui digitum
 „annularem seu medicinalem sinistrae
 „manus sponsæ eo exornabit: dicens:
 „Ego te hoc annulo spondeo, & cor-
 „pore meo colo, vel adoro, vel hono-
 „ro; nam verbum illud, quo utuntur:
 „*Worshippe*, in sacris adorare vel colere
 „significat, *Quadragesimo quinto.* In or-
 „dine visitationis infirmorum, pag. 249.

Sæc. XVII. „Una & eadem oratio præscribitur in
 A. C. 1641. „omnium ægrotorum usum, eadem ex-
 „hortationes & consolationes absque
 „ulla variatione. *Quadragesimo sexto.*
 „In liturgia sepulturæ perlegitur, præ-
 „catur, canitur. *Quadragesimo septimo.*
 „Puerperarum purificatio judaismum
 „redolet, &c. „

„Inter semina errorum, quæ disper-
 „sa latent, sunt. 1. Quod libri Apo-
 „cryphi V. T. partes dicantur, pag.
 „11. & quod libri quidam ac capita
 „Canonicæ Scripturæ dicantur minus
 „conferre ad ædificationem, & melius
 „omitti posse, quam Apocryphorum ca-
 „pita, quæ prælegi mandantur. Plu-
 „rimum etiam Canonicæ Scripturæ
 „nunquam publice prælegitur, ut Can-
 „ticum Canticorum, & universa Apo-
 „calypsis; duobus tantum capitibus ex-
 „ceptis, & parte capituli decimi no-
 „ni; An non ortus inde error Ponti-
 „ficiorum, quo Apocryphi Libri statuun-
 „tur esse Canonici, ex eo, quod in
 „Ecclesia legerentur? 2. Observatio
 „festorum sanctis dicaturum, pag. 31.
 „& Angelis: imo plures statuuntur dies
 „sancti, quam Dominus in lege veteri
 „determinavit judæis: An non hinc
 „succrevit Sanctorum cultus religiosus
 „apud Pontificios? 3. Devicta mortis
 „acerbitate, aperuisti Regnum Cælo-
 „rum

rum omnibus credentibus, pag. 38. Sæc. XVII.
 „& in Epistola prælegenda ad Vesp- A. C. 1641.
 „ram Paschatis applicatur, 1. Petr. 3.
 „v. 17. An non sapiunt hæc limbum
 „Patriarcharum? 4. In ordine sepul-
 „turæ pag. 262. orant, ut nos una cum
 „fratre demortuo, & aliis omnibus in
 „vera fide & confessione nominis tui
 „vita defunctis, consequamur perfectam
 „absolutionem, & consummata corpo-
 „ris & animæ benedictione fruamur.
 „Nonne facile hinc pullulabit precatio
 „pro mortuis? 5. A scortatione & om-
 „nibus mortalibus peccatis libera nos
 „Domine. Disserta hic est distinctio
 „peccatorum inter mortalia & venialia.
 „6. Recurrente Nativitatis Christi festo,
 „orantes dicunt, hodie natus est filius:
 „unde sequitur, toties natum fuisse
 „Christum, quoties anni a Nativitate
 „numerantur, hoc est, 1637. Aut si
 „per diem illum intelligant mensis, non
 „anni diem, oratio illa non erit ex fi-
 „de: nam ex quo sacræ Scripturæ fun-
 „damento colligi poterit, illo mense
 „natum fuisse Christum? Idem etiam
 „de Circumcisione, Epiphaniis & aliis
 „festis. 7. In collecta tertiæ Domi-
 „nicæ post Pascha dicitur, Deum om-
 „nibus in errore versantibus veritatis
 „suzæ lucem monstrare, quod adversa-
 „tur Psalm. 147. v. 19. 20. Indicat
 „L 1 5 „verba

Sæc. XVII. „verba sua Jacobo, statuta sua Israeli:
A. C. 1641. „Non fecit ita ulli genti, ideoque jura
 „ista non noverunt. 8. In Collecta ad
 „festum S. Michaelis, Michael ille An-
 „gelorum Princeps. Apoc. 12. 7. refer-
 „tur inter Angelos creatos, cum ta-
 „men sit Jesus Christus. 9. In rubri-
 „ca ante communionem præparatio in
 „eo sita esse videtur, ut communicari
 „vespera præcedenti omnia sua Pres-
 „bytero significant, aut eo ipso mane,
 „quando administratur S. Cœna: licet
 „tunc impossibile sit Pastori de vita &
 „moribus communicatorum inquisi-
 „tionem instituere, aut tam subito scan-
 „dala & controversias ac rixas compo-
 „nere. 10. Eadem rubrica flagrantis
 „scandali reus admittitur ad S. Cœ-
 „nam, modo apud se statuat, & pro-
 „sitateatur, se postea satisfacturum, an
 „non Christi instituto directe hoc ad-
 „versatur, jubentis, prius convenien-
 „dum esse fratrem læsum, & illi re-
 „conciliandum esse? 11. Sicuti liber
 „hic omni prorsus autoritate Eccle-
 „siastica destituitur, sic pag. 20. jubet
 „Homilias publica autoritate compo-
 „nendas recipere: unde sequitur, verbi
 „prædicationem & preces ab illa pu-
 „blica autoritate civili in univèrsam
 „dependere, & in omnibus Religionis
 „negotiiis Ecclesiam hanc ad cæcam
 „obe-

„obedientiam adstringi, ac fundamen- Sæc. XVII.
 „tum fidei esse edictum ab Aula procu- A. C. 1641.
 „ratum, aut procurandum. 12. Ora-
 „tio Offertorii contradicit titulo præ-
 „fixo, qui sic se habet: Oremus pro
 „universa Christi Ecclesia, hic in ter-
 „ris militante. In oratione vero est
 „commemoratio mortuorum, & restri-
 „ctio Nomenclaturæ Sanctorum ad eos,
 „qui gloria nunc fruuntur. Atque sic
 „via sternitur Sanctorum Canonizatio-
 „ni & invocationi: Adde, quod ibidem
 „preces fiant pro mortuis, qui vitæ
 „luzæ cursum in fide transegerant, &
 „nunc a laboribus suis quiescunt, quo
 „modo optime describi animas in pur-
 „gatorio, fatetur Bellarminus. 13. Au-
 „ricularis Confessio obtruditur Con-
 „scientiis populi; pag. 204. & absolu-
 „tio disserte offertur. 14. Modo tres
 „aut quatuor adsint, celebrari poterit
 „communio; pag. 214. qui fortasse e-
 „runt Diaconus, Subdiaconus & Cle-
 „ricus, licet nullus ex populo adfuerit:
 „quid quæso magis refert privatam Pon-
 „tificiorum Missam? 15. Ibidem impe-
 „ratur, ut omnes ter accedant ad com-
 „munionem annuatim præsertim vero
 „in Paschate. Judaicum hoc est, ne-
 „que legitur, Christum alligasse Sacra-
 „mentum hoc cuivis speciali tempori;
 „sed dixit, hoc facite, quoties ederi-
 „tis,

Sæc. XVII. „tis, &c. 16. Ut persuadeant populo
 „A. C. 1641. „necessitatem Baptismi, pag. 216. ci-
 „tant verba illa Christi: nisi quis rena-
 „tus fuerit ex aqua & spiritu, &c. Quæ
 „tamen de Baptismo aquæ non intelli-
 „genda sunt: & ibidem dicitur, Do-
 „minum sanctificasse fontem, prorsus li-
 „ne ullo Scripturæ testimonio. 17. In
 „Exhortatione post consignationem cru-
 „cis in baptismo, fundamentum hoc
 „ut indubitatum ponitur, omnes bapti-
 „zatos esse regeneratos, & pag. 224.
 „infantes baptizatos omnia habere,
 „quæ ad salutem necessaria sunt; quod
 „eorum est axioma, qui totalem & fi-
 „nalem vere Sanctorum Apostasiam
 „tuentur. 18. Interrogata ad privati
 „baptismi examinationem proposita,
 „pag. 223. præsupponunt, eos bap-
 „tizare posse, qui tum formam tum ma-
 „teriam baptismi prorsus ignorant. 19.
 „Dicitur pag. 231. Christum redemisse
 „me & totum genus humanum, quæ
 „phrasis cum nullibi per totum librum
 „commoda aliqua explicatione lenia-
 „tur, universali redemptioni tam re-
 „proborum quam electorum viam præ-
 „struit. 20. Dicitur pag. 235. Duo
 „esse sacramenta in genere necessaria
 „ad salutem; quo innuitur; alia esse
 „licet minus necessaria, & in horum
 „numero postea ostenditur collocari Or-
 „dinem

„dinem, Matrimonium, Pœnitentiam, Sæc. XVII.
 „& confirmationem. 21. Internæ par- A. C. 1641.
 „tes Sacramenti S. Cœnæ dicuntur,
 „pag. 236. esse corpus & sanguis Christi,
 „quæ vere sumuntur in S. Cœna, ne-
 „que ullibi in Liturgia Eucharistiæ,
 „seu in Catechismo ulla vocabula ex-
 „tant, quibus phrasis hæc explicetur,
 „aut a commento transsubstantiationis
 „distinguat. 22. Confirmatio p. 237.
 „238. secundum definitionem Sacra-
 „menti in Catechismo inserto proposi-
 „tam erit Sacramentum; videlicet ex-
 „ternum & visibile signum internæ &
 „spiritualis gratiæ in nos collatæ, in-
 „stitutum a Christo ut medium, quo
 „gratia recipitur, & arrha, qua de ea-
 „dem gratia certi reddamur. Atque
 „hic & signum externum & visibile,
 „manuum impositio per Episcopum, qui
 „solus confirmare potest: Gratia inter-
 „na & spiritualis est defensio & vis con-
 „tra omnes insultus diaboli, peccati
 „& mundi, & in precatiuncula post im-
 „positas manus dicit Episcopus: Sup-
 „plices tibi preces fundimus pro his
 „pueris, super quos ad exemplum A-
 „postolorum tuorum manus imposui-
 „mus, ut certiores eos hoc signo red-
 „deremus tuæ in ipsos benignæ volun-
 „tatis: unde sequitur, impositionem
 „manuum Episcopi esse signum obsigna-
 „te-

Sæc. XVII. „torium, & medium, per quod gratia
 A. C. 1641. „confertur. Adde, quod ratione Mi-
 „nistri, qui est solus Episcopus, duo-
 „bus genuinis Sacramentis præferatur,
 „& sæpius necessaria dicitur hæc Con-
 „firmatio: quid hæc a Pontificiis disse-
 „runt? 23. Matrimonium etiam tacite
 „inter Sacramenta numerari quid ve-
 „tet? nam annulus contactu libri Pres-
 „byteri sanctificatus sacrum erit gratiæ
 „Symbolum, significans, vivendum
 „esse matrimonio conjunctis in mutuo
 „amore & pace, & juxta præcepta
 „Christi. 24. In celebratione Matri-
 „monii, pag. 242. Sponsus a Presby-
 „tero instituitur dicere sponsæ: bono-
 „rum omnium meorum te participem
 „facio, seu omnibus meis fortunæ bo-
 „nis te amplifico, in nomine Patris, fi-
 „lii, & Spiritus Sancti, quibus verbis
 „tenetur maritus bona omnia sua mobi-
 „lia & immobilia sponsæ communicare,
 „nisi perjurus esse velit, ac sacrosancto
 „Dei nomine abuti. 25. In ordine vi-
 „sitationis infirmorum, pag. 253. ægro-
 „tus jubetur coram Presbytero parti-
 „culari peccatorum confessionem e-
 „dere, de quibus a Presbytero abfol-
 „vetur, quam hoc inclinat ad auricu-
 „larem confessionem? 26. Grassante
 „peste, aut quovis alio morbo conta-
 „gioso, permittitur ministro S. Cœnam
 „cum

„cum solo ægroto celebrare, & sic cum Sæc. XVII.
 „uno ægroto: cur non cum uno quovis A.C. 1641.
 „alio? 27. Dicitur, pag. 267. In pri-
 „mitiva Ecclesia piam fuisse disciplinam,
 „ut initio quadragesimæ manifesti pec-
 „catores ad publicam pœnitentiam co-
 „gerentur, eosque humiliter se submi-
 „sisse, se ad subeundam in hoc mundo
 „pœnam, qua eorum animæ salvæ fie-
 „rent in die Domini: in cuius locum,
 „donec eadem disciplina restitui possit,
 „(quod maxime optandum est) visum
 „est, ut hoc tempore coram vobis le-
 „gerentur generales maledictionis Dei
 „sententiæ adversus impœnitentes pec-
 „catores: quid hoc aliud est, quam
 „optare, ut opera pœnalia satisfactio-
 „num restituerentur? & falsum est, ul-
 „lam talem fuisse in primitiva Ecclesia
 „consuetudinem, nisi forte corruptam
 „Ecclesiam Romanam eo elogio coho-
 „nestare velis. Nonne vel hoc satis
 „indicabit, authores hujus libri ad Ec-
 „clesiam præsentem Romanam in-
 „clinare? „

„Semina etiam idololatriæ libro
 „hoc continentur. Nam i. Calenda-
 „rium Catalogum habet quorundam
 „virorum & foeminarum, quos speciali
 „ratione ad Sanctorum honorem eve-
 „hit, quid hoc aliud est quam Sancto-
 „rum Canonizatio, quæ Sanctorum
 „invo-

Sæc. XVII. „invocationi viam sternit? 2. Eodem
 A. C. 1641. „collimat Dedicatio dierum in honorem
 „Sanctorum, quæ ab hac Ecclesia sem-
 „per post reformationem iudicata fuit
 „Idololatria Papistica. 3. Beata Vir-
 „go Maria vocatur Domina nostra,
 „pag. 14. 4. In oratione consecratio-
 „nis elementorum S. Cœnæ sic habe-
 „tur; Benedic & sanctifica verbo
 „tuo, & sancto Spiritu has tuas crea-
 „turas panis & vini, ut sint nobis cor-
 „pus & sanguis dilecti filii tui: quæ
 „sunt formalia verba Canonis Missæ
 „pro transubstantiatione. Dicit qui-
 „dem Apostolus, creaturas sanctificari
 „Dei verbo & precibus; sed an un-
 „quam auditum, res spiritualis gratiæ
 „incapaces sanctificari per Spiritum?
 „Interim libri hujus architecti satis sen-
 „sum suum prodiderunt, videlicet, ut
 „Deus omnipotentia sui spiritus mira-
 „culose efficere velit, ut panis ille &
 „vinum mutetur in verum corpus &
 „sanguinem Christi. Nam sanctificatio
 „hæc, quæ verbis illis petitur, est mu-
 „tatio quædam, eaque vel sacramenta-
 „lis, vel spiritualis, vel per transub-
 „stantiationem. Non est sacramenta-
 „lis, quia tum non opus esset aliis ver-
 „bis, quam institutionis Christi: neque
 „spiritualis, nam sic potius cum An-
 „glica liturgia dicendum esset: Sancti-
 „ficato

„ficato nos verbo tuo & spiritu, ut par-
 „ticipes esse possimus corporis & san- Sæc. XVII.
 „guinis Christi. Restat itaque, intel- A. C. 1641.
 „ligenda esse de mutatione per trans-
 „substantiationem: & in hunc finem
 „mentionem facit liber *corporalis*, qua
 „voce notandum est, quod non utan-
 „tur, nisi post consecrationem. 5. In
 „margine ponitur p. 208. cum ad ver-
 „ba illa institutionis, accepit panem &c.
 „presbyter officiatorus devenerit, su-
 „met tum patenam in manus. Et in
 „missali Romano sic habetur: Dum re-
 „petit Sacerdos: hoc est enim corpus
 „meum, hostiam supra caput elevet,
 „ut ab omnibus conspici & adorari
 „possit. Neque dubitandum, quin idem
 „hic sit sensus, præsertim si locus & si-
 „tus Presbyteri & populi attente con-
 „sideretur; nam Presbyter a populo
 „longe remotus ad occidentalem Alta-
 „ris partem facie a populo averfa stat,
 „& populus extra sacrarii cancellos in
 „genua provolvitur: quare necesse est,
 „ut patenam & calicem in altum elevet,
 „si a populo conspici velit; alioqui fru-
 „stra species (ut hic liber loquitur) in
 „manus fumeret. Adde, quod ab hoc
 „Presbyteri & populi situ sequatur, ut
 „rumque facie ad orientem conversa
 „precari. Vah! quam subdole subrepat
 „Idololatria. 6. Pontificii duplicem
Hist. Eccles. Tom. LX. M m ha-

Sæc. XVII. „habent in Missa oblationem, alteram
 A. C. 1641. „præparatoriam, panis & vini conse-
 „crandi, alteram hostiæ post consecra-
 „tionem: utramque hic liber continet.
 „Prior est in offertorio disserte: secun-
 „da in memoriali oblationis post ora-
 „tionem consecrationis; nam præter-
 „quam quod titulus ipse illud clamat,
 „verba etiam memorialis satis demon-
 „strant: & licet mentionem faciat Sa-
 „crificii laudis, seu gratiarum actionis,
 „non tamen per vocem illam intelligi
 „debet spirituale aliquod sacrificium,
 „quod in laude & gratiarum actione
 „conficit; sed corporis Christi sacrifi-
 „cium, sic dictum, quia per illud Deus
 „laudatur, Bellarmino interprete de
 „Missa, Lib. 2. cap. 21. 7. Licet Pres-
 „byter ante consecrationem steterit,
 „nunc tamen peracta consecratione ge-
 „nusfertur: & pag. 104. dicit, come-
 „sam esse Christi carnem, & ebibitum
 „sanguinem, ac precatur, ut corpora
 „nostra per ejus corpus mundentur,
 „ac animæ in sanguine ejus laventur;
 „phrases admodum crassæ sunt hæ,
 „cum tam crude sine ulla omnino ex-
 „plicatione aut distinctione a Pontificiis
 „erroribus proponantur. 8. Episcopus
 „aut Presbyter officians jubetur in utra-
 „que specie Communionem primum
 „recipere, priusquam populo tradat,
 „pag.

„pag. 210. ubi primum, Papisimum re- Sæc. XVII.

„dolet vox species; quasi elementorum A. C. 1641.

„materia, panis videlicet & vini, vere

„non manerent post Consecrationem.

„2. Videtur etiam redolere consumptio-

„nem sacrificii, in qua formam ejus

„poni contendit Bellarminus, de Mis-

„sa Lib. 1. cap. 22. nam hic peragitur

„sacrificium, & a Presbytero consumi-

„tur, priusquam admittatur populus.

„9. In Liturgia Baptismi infans bap-
 „tismus cruce signatur; nonne hoc est

„additamentum mere humanum, &

„ritus Symbolicus, nullo Christi man-

„dato institutus ejus superadditus? Se-

„men etiam est horrendæ idololatriæ

„inter Pontificios, quam Ecclesia hæc

„hoc nomine expresse abjuravit. 10.

„Qui matrimonii vinculo junguntur,

„jubentur pag. 244. genuflectere co-

„ram mensa seu Altari Dominico; quid,

„quæso, hoc aliud est, quam quod in

„solemnibus matrimonii jubet rituale

„Romanum? „

„Denique hic liber nobis obtrusus in

„multis Anglica liturgia pejor & cor-

„ruptior est, Nam. 1. multo plures

„sancti in Calendario nostro ponuntur,

„quam in Anglico. 2. Ante commu-

„nionem Anglicus hortatur omnes præ-

„sentes, ut pauperum memores sint.

„Cujus exhortationis loco quasdam ex

„offer-

M m 2

Sæc. XVII. „offertorio Romano depromptas reci-
 A. C. 1641. „tari jubet noster. 3. Licet quædam
 „sint in Anglico sententiæ, quibus ad
 „Eleemosynam excitetur populus, om-
 „nes tamen sunt ex N. T. fere desum-
 „ptæ, & de Eleemosyna tantum lo-
 „quuntur, ita ut nihil periculi sit, ne
 „ad alienam oblationem detorqueantur;
 „noster vero multas profert V. T. Sen-
 „tentias, quæ tantum intelliguntur de
 „sacrificiis & oblationibus Leviticis. 4.
 „In Anglico jubetur populus precari,
 „ut Deus eleemosynam hanc sui populi
 „sibi acceptam esse velit; &c. Noster
 „vero superaddit gratiarum actionem
 „pro iis, qui in fide mortui sunt, &c.
 „Et sic magis accedit ad missam Pon-
 „tificiam, prout supra observatum.
 „5. In Anglico mensa Dominica in me-
 „dio navis templi aut sacrarii ponitur:
 „noster vero jubet locari situ altaribus
 „consueto, intra sacrarii cancellos, qui-
 „bus removetur populus, ita ut orien-
 „talis ejus pars sacrarii extrema con-
 „tingat. 6. In Anglicana liturgia post
 „orationem consecrationis elemento-
 „rum S. Coenæ, jubetur Presbyter com-
 „municare, & populo statim tradere:
 „at in hac nostra post orationem con-
 „secrationis (longe diversam ab An-
 „glica) secundæ oblationis oratio se-
 „quitur ad ideam Missæ. 7. In An-
 „glica

Sæc. XVII.
A. C. 1641.

„g ica Presbyter panem populo tradens
 „jubetur dicere: Accipe, & ede in me-
 „moriã, quod Christus pro te mor-
 „tuus sit, fide illum edito in corde tuo
 „cum gratiarum actione; quæ aurea
 „sententia, transsubstantiationis jugu-
 „lum secans, hic in nostra prorsus o-
 „mittitur, quia scilicet in canone Mis-
 „sæ non existat: idem observandum e-
 „tiam in traditione poculi. Liturgia
 „Anglica habet: *Bibe hoc in memoriã*
 „*sanguinis Christi pro te effusi, & gratias*
 „*agito:* quæ verba in nostra non repe-
 „riuntur, quia non in Missa Romana.
 „8. Anglica jubet elementa tradi in
 „manus populi, nostra illud delet: &
 „sic quid vetabit, quin communican-
 „tium ori ingerantur? 9. Anglica ju-
 „bet utrumque elementum in populi
 „manus tradi; nostra vero nihil prorsus
 „loquitur de utriusque elementi tradi-
 „tione, contenta dixisse, populus suo
 „ordine communicet: hoc est, remo-
 „veri oportet laicos ut vulgus profa-
 „num extra sacrarium, ea de causa
 „cancellis septum; ac quid si innuatur
 „aliud esse ordinem populi communi-
 „catur a Clericis non solum ratione
 „loci, sed ratione communicationis sub
 „utraque specie, ut Pontificii loquun-
 „tur. Non sine causa tale quid pro-
 „positum fuisse libri nostri architectis
 M m 3 „su-

Sæc. XVII. „susplicamur; nam differte hactenus
 A. C. 1641. „declararunt, fundamentum nullum
 „esse in S. Scriptura, quo superstrui
 „possit participatio in Coena Domini sub
 „utraque specie: ad traditionem refer-
 „tur ab Elisensi Episcopo Whito, libro
 „nuper impresso de Sabbatho pag. 97.
 „& expresse Montacutus Episcopus, in
 „originum libro p. 396. Ubinam (inquit)
 „jubentur in Scripturis infantes bap-
 „tizi, aut in Coena Domini sub utra-
 „que specie communicantes participa-
 „re? de his possumus profiteri, nihil
 „tale docet Scriptura, hæc non præ-
 „dicat. Nonne merito metuendum
 „nobis est, ne ex consulto utriusque
 „elementi traditionem omiserint, ut
 „immani huic Sacrilegio in posteriori
 „libri hujus editione viam parent? 10.
 „in nostra liturgia reliquiæ panis con-
 „secrati operiendæ sunt corporali, &
 „mensa Dominica decoro tapete in-
 „struenda est: horum vero in Anglica
 „nulla prorsus mentio. Neque vox
 „*Corporale*, quæ lintea, quibus ele-
 „menta leguntur, significat, unquam
 „in Ecclesia audita ante natam trans-
 „substantiationem. 11. In Anglica li-
 „turgia universa fidelis populi eleemo-
 „syna pauperum ærario imponi jubetur;
 „at in nostra jubetur dividi, cujus al-
 „tera semissis cedit Presbytero. 12.
 „No-

„ster liber mentionem facit oblationis Sæc. XVII.
 „panis & vini, de qua in Anglico al- A.C. 1641.
 „tum silentium. 13. Noster panem
 „azymum rotundum probat, cum An-
 „glicus fermento & ordinario uti ju-
 „bet. 14. Anglicus liber jubet reli-
 „quias elementorum ad Curati ædes
 „deferri, easque pro ordinario & vul-
 „gari pane & vino habet: noster vult
 „reliquias illas ut sacras in ipso templo
 „consumi. 15. Quodsi elementa con-
 „secrata populo communicanti non suf-
 „fecerint, noster jubet alia de novo
 „consecrari; non sic Anglicus. 16. In
 „prima oratione Baptismi hæc senten-
 „tia exstat in libro hoc nobis obtruso,
 „fontem hunc baptismalem sanctifica; quæ
 „in Anglica deest. 17. Ibidem in
 „margine libri nostri jubetur aqua fon-
 „tis baptismalis singulis mensibus bis
 „renovari, & tum solenni verborum
 „formula consecrari: utrumque in An-
 „glico deest.

§. XIV.

*Anglorum, Scotorumque Præconum
 Judicium de novo Canonum libro.*

Cum Puritani nil ardentius percupe- *Salmon hist.*
 rent, quam ut Episcopale Regimen *d' Angl. t. 1.*
 in Presbyteriale converteretur, aliun- *Jæger. hist.*
 de autem probe prospicerent; quod *Eccl. p.628.*

M in 4

fco-

Sæc. XVII. scopum suum nunquam attingere possent, nisi Regem, qui Episcopos potenter protegebat, adeo deprimerent, ut se eorum consiliis opponendi viribus & auctoritate destitueretur, hinc primum per varias artes & violentias deprimere penitus Regis potentiam, postmodum die Decembris Episcopatum omnino abolere statuerunt, populi tamen tumultum, publicamque indignationem veriti, adhuc superfederunt: interim tamen populis odium in Episcopos instillare, ore & calamo adlaborarunt, eosque sua auctoritate abusos, tyrannidemque in subjectum gregem exercuisse sparsis in vulgus scriptis calumniabantur: Prodiit ad hoc propositum per commodus libellus, in quo Puritani novum Canonum librum tanquam Episcopalis tyrannidis specimen populo exhibentes, illum omnino rejiciendum demonstrare nitebantur: & primo quidem, ut agebant: „liber hic „Canonum obtruditur sine ullo Ecclesie „consensu & approbatione synodi nationalis, cum tamen Hierarchici ipsi fateantur, Canones Ecclesiasticos nullibi unquam conditos fuisse, quam in „Synodis Ecclesiasticis, ita Lancelotus „Andreas, Episcopus Wintoniensis in „concione de tubis edita & revisa, ac „cum cæteris ejusdem concionibus „Regi

„Regi Serenissimo dedicata, per Gui- Sæc. XVII.
 „lium Episcopum Londinensem: A. C. 1641.

„nunc Cantuariensem: & ordinaria
 „praxis Ecclesiæ Anglicanæ in domo
 „Convocationis, quæ Synodi nationa-
 „lis apud eos vicem supplet, idem do-
 „cet. 2. Uno ictu universam Ecclesiæ
 „hujus disciplinam, & acta ac decreta
 „octoginta plus minus Synodorum na-
 „tionalium penitus subvertit, ac in ejus
 „locum novam disciplinam substituit,
 „ab Episcopis solis, remotis omnibus
 „Presbyteris, formatam, qua mera
 „tyrannis Episcoporum Diœcesanorum
 „in omnes Ecclesias stabilitur, & qui-
 „bus conceditur facultas irrefragabilis
 „omnia in Ecclesia pro arbitrio circum-
 „agendi. Adde, quod libro hoc aperte
 „contradictoria contineantur, ac quæ-
 „dam municipalibus Regni legibus di-
 „serte adversantia, ac errores quidam
 „graves involvantur.,,

„Disciplinam receptam, & Cano-
 „nibus Synodalibus ac legibus Regni
 „sancitam subvertit. 1. Dum interdi-
 „cit Presbyteris, & Laicis, ne causas
 „ullas Ecclesiasticas tractent, cap. 8.
 „§. 4. unde sequitur, abrogandas esse
 „sessiones seu consistoria, presbyteria
 „seu classes; neque concedendum esse
 „Laicis quibuslibet, licet Ecclesiarum
 „senioribus, & ab Ecclesiis ad Synodos

Mm 5

„rite

Sæc. XVII „rite ac legitime deputatis, jus suffra-
 A.C. 1641. „gii in Synodis. 2. Nullam prorsus

„mentionem facit cujuslibet Synodi,
 „præterquam Diæcesanæ, in qua tan-
 „tum regnabit Episcopus, & pro cujus
 „arbitrio indicenda est: Exercitium e-
 „tiam spiritualis jurisdictionis in Com-
 „missarios seu officiales Episcopi, in so-
 „lidum transfert; quasi vero officiales
 „illi essent a Christo instituti ministri Ec-
 „clesiastici c. 19. §. 1. 3. Interdicit aliis
 „omnibus Ecclesiasticorum conventibus
 „pro rebus Ecclesiasticis. c. 8. §. 2. 4. Se-
 „mel quidem sed ex obliquo, quasi au-
 „toribus incogitantibus excidisset, men-
 „tio fit Nationalis Synodi: sed altum
 „est silentium, quænam ejus membra
 „sint: unde hæud male quis colliget,
 „Episcopos statuum se solos esse legiti-
 „ma Synodi illius membra: nam Sy-
 „nodus nationalis Ecclesias illius natio-
 „nis repræsentat, & Episcopi se hæc-
 „nus exornarunt elogio Ecclesiæ re-
 „præsentativæ. 5. Ordinem Diacono-
 „rum, prout a Spiritu Sancto institui-
 „tur, & ab hac Ecclesia receptus fuit,
 „penitus rejecerunt, & in eorum lo-
 „cum æconomi quidam ab Episcopis
 „eligendi (stirps prorsus novella,
 „Scotis ne vel de nomine cognita) al-
 „sumuntur.;

„Potestatem omnem, imo & tyran-
 „nidem Episcopis largitur. Nam. i. eis
 „solis,

„folis, aut eorum Capellanis attribui-
 „tur facultas examinandi promovendo-
 „dos ad SS. Ministerii functionem cap.
 „2. §. 3. 2. Episcopi est literas dimif-
 „sorias concedere pastoribus, cap. 2. §. 5.
 „3. Ejus solius est ordinare Pastores c. 2. §. 7.
 „4. Potest Episcopus concedere facul-
 „tatem Pastoribus non residendi ad Ec-
 „clesias suas, cap. 3. §. 1. cum tamen
 „residentia sit de jure divino. 5. In-
 „terdicit Pastoribus, ne alibi quam in
 „suis Ecclesiis concionentur, quæcun-
 „que demum extraordinaria occasio se-
 „se offerat, aut necessitas urgeat, nisi
 „primum facultatem ab Ordinario loci
 „(sic Episcopum vocant) obtinuerint.
 „cap. 2. §. 2. 6. Interdicit Pastoribus,
 „ne hæreses & errores quoslibet, ab
 „aliis pastoribus publice licet, propo-
 „sitos, refurent, nisi facultatem a Diæ-
 „cesano obtinuerint, cap. 3. §. 7. &
 „quid si eosdem errores foveat Episco-
 „pus? silendum erit Orthodoxis pasto-
 „ribus, & perçundum populo. 8. Li-
 „cet statuta civilia aut Ecclesiastica se-
 „mel sancita sint iniquissima; interdici-
 „tur tamen pastoribus cap. 3. §. 8. ne
 „iis contradicant, sed scrupulos suos
 „Episcopo proponant, ejusque deter-
 „minationi modeste acquiescant. 9.
 „Nulla demigratio conceditur pastori-
 „bus de Ecclesiis ad Ecclesias, cap. 4.
 „§. 4. quæcunque demum utilitas, &
 „ædi-

Sæc. XVII., ædificatio populi urgeat, nisi per Epi-
 A.C. 1641., scopum. 10. Potest Episcopus facul-
 tatem concedere celebrandi matrimo-
 nium, licet personarum trina denun-
 tiatio non præcesserit. 11. Episcopi
 est, indicere locum & tempus Syno-
 dorum. 12. Ejusdem est præcepto-
 res scholis, & lectores Ecclesiis præ-
 ficere. 13. Typographis interdicit,
 ne quilibet imprimant sine facultate
 visitatorum, hoc est, Episcopi ejus-
 que Capellani, cap. 12. §. 1. & quid
 si heterodoxis illi faveant? nonne ad
 perpetuum silentium orthodoxa scripta
 damnabuntur? aut saltem expectan-
 dum erit, donec fato defunctus Epi-
 scopus orthodoxus in Cathedram ejus
 succedat: quod vix sperandum esse
 præteriti temporis experientia demon-
 strat. 14. Catalogum baptizatorum,
 matrimonio conjunctorum, præsertim
 vero demortuorum, a quibus spes lu-
 cri Episcopis affulget per approbatio-
 nem seu confirmationem testamento-
 rum, ad Episcopum quotannis trans-
 mittere jubetur presbyter. 15. Epi-
 scopi est, in suæ Diæceseos Ecclesiis
 jejunia indicere, cap. 14. §. 1. ita ut,
 nisi consentiat Episcopus, nefas sit
 publicis jejniis & precibus gravissi-
 mam Dei iram imminentem deprecari.
 16. Episcopi est designare, ubi & quo-
 modo

„modo ponenda sint templorum pul- Sæc. XVII.
 „pita, quæ decora esse oportet, cap. A. C. 1641.
 „16. §. 5. hoc est, Episcopo concedi-
 „tur facultas imperandi lectionem Evan-
 „gelii de superiori pulpito: quia illud
 „dicunt quidam aliis omnibus S. Scri-
 „pturæ partibus magis sacrum esse,
 „propter contactum scilicet oris Christi:
 „& de inferiori pulpito alias omnes
 „scripturæ partes: & quid, si per illam
 „pulpiti decentiam astringamur ad li-
 „gneum pulpitem, propter symbolicam
 „significationem crucis Christi, juxta
 „Amularium Lib. 3. de divinis officiis.
 „17. Episcopi est, providere de bonis
 „omnibus piis usibus dicatis, eique tra-
 „dentur scripta omnia, quæ ad hæc
 „bona pertinent, cap. 17. §. 5. 6. 10.
 „& quis pro fide Episcopi spondebit,
 „ac nobis Episcoporum avaritiam ex-
 „pertis persuadebit, a sacrilegio immu-
 „nes futuros; aut si rei agantur hujus
 „sceleris, quomodo convinci poterunt,
 „cum facile illis erit scripta illa suppri-
 „mere? Itaque ut sibi hic optime ca-
 „visse videntur, sic in manifesto crimi-
 „ne deprehensis prospexerunt: nam nul-
 „lam aliam in sacrilegos pœnam sta-
 „tuunt, cap. 17. §. 1. quam restitutio-
 „nem. 18. Interdicit, ne sententia
 „excommunicationis in quemlibet pro-
 „feratur, nisi chirographo Episcopi
 „prius

Sæc. XVII. „prius obfignetur, cap. 18. §. 3. Aliter
 A. C. 1641. „certe Chriftus Ecclefie fuæ confultit.
 „Matth 18. 17. Dic Ecclefie: Nifi
 „forte Epifcopus folus Ecclefiam repræ-
 „fentet, ut Princeps Regnum. 19. In-
 „terdicitur, ne excommunicati fatis-
 „faciant Ecclefie, aut abfolvantur, nifi
 „ex confenfu & beneplacito Epifcopi;
 „quam appofite! nam ejus eft abfolvere,
 „cujus eft ligare. 20. Epifcopus pot-
 „eft facultatem concedere converfandi
 „cum lege Chrifti. 21. Interdicit, ne
 „fententia depositionis contra presby-
 „terum proferatur per ullum alium,
 „quam Archiepifcopum aut Epifcopum
 „Diæcefeos: & fic cautum eft profanis
 „& heterodoxis, modo Epifcopum be-
 „nevolunt habeant, quem raro adver-
 „farium experientur, fi acres ceremo-
 „niarum defenfores fe gesserint, prout
 „Ecclefiarum frequentiffima gravami-
 „na hodie clamant. 22. Epifcopi eft
 „decernere, quo habitu veltiendi fint
 „Decani, Doctores, Presbyteri, Dia-
 „coni & reliquus clerus: quisnam ille
 „futurus fit, haud difficile eft divinatu;
 „nam cum urgeant libri hi conformita-
 „tem cum Ecclefia Anglicana, veltitus
 „ille Clericorum idem erit cum eo, qui
 „in Canone 74. Anglicarum constitu-
 „tionum imperatur: & fi quid ad ple-
 „num cum Pontificiis Syncretismum
 „in

„in vestitu sacro apud Anglos deerat, Sæc. XVII.
 „nostri Episcopi in melius, scilicet in A. C. 1641.
 „dies proficientes liberaliter addent;
 „& sicuti Missam fere totam restitue-
 „runt, vestitum etiam missaticum cur
 „omitterent? nam turpe esset, devo-
 „rato bove in cauda hæerere, & ca-
 „melo absorpto percolare culicem. 23.
 „Denique quasi tæderet Episcopos po-
 „testatis suæ, rapidum torrentem in-
 „tra ullos omnino limites contineri,
 „cap. 19. §. ultimo: potestatem sibi
 „assumunt pro arbitrio pœnas infligendi
 „eorum canonum violatoribus, qui
 „nulla speciali pœna sanciantur: &
 „hunc colophonem superbo huic ædifi-
 „cio superimponunt, ac si quid desit,
 „hoc supplemento coronant: omnium
 „porro summa est, Episcopos posse ju-
 „dicare omnes, sed a nemine judicari.,
 „Tertio. Liber hic contradictoria
 „quædam continet. Nam summariam
 „excommunicationem, hoc est, quæ
 „citationibus non præcedentibus fertur,
 „damnat, cap. 18. §. 2. cum tamen
 „cap. 8. §. 4. qui Synodis contradixe-
 „rint, earumque decretis non acquie-
 „verint, qui rubricam, canonem, ver-
 „ba librorum horum, videlicet cano-
 „num, liturgiæ, ordinationis, homi-
 „liarum (ex quibus solus liber Cano-
 „num tum typis commissus prostabat)
 „mu-

Sæc. XVII. „mutaverint, ipso facto excommuni-
 A. C. 1641. „cati declarantur: Dein Residentiam

„Presbyteris injungunt, & tamen cap.
 „10. Curati inter legitimos Ecclesiæ
 „ministros recensentur: quorum nullus
 „alius usus esse potest, quam ut pasto-
 „ris absentis & non residentis vices sup-
 „pleant. „

„Quarto. Liber hic quædam conti-
 „net diferte adversantia municipalibus
 „Regni legibus. Nam cap. 7. §. 6.
 „parti innocenti post legitimum divor-
 „tium interdicitur secundæ nuptiæ,
 „vivente adultero. Cum tamen redi-
 „tus ad nuptias statuto parlamentari
 „sanciat. Dein cap. 17. §. 7. Pasto-
 „res sine liberis morientes adstringit,
 „ut magnam bonorum suorum partem,
 „licet a majoribus hæreditario jure
 „transmissa possideat, testamento leget
 „in pios usus, quod multi nihil aliud
 „esse credunt, quam ut in ærarium
 „Episcopi conferantur; quippe quod
 „illi soli commissa sit suprema ejusmodi
 „bonorum cura; neque sit, qui ad eum
 „rationes reddendas adigere cum aliquo
 „operæ pretio possit. Sed quicquid sit
 „de administratione, ipsum illud de-
 „cretum excedit omnem potestatem,
 „quam Reges nostri unquam sibi in li-
 „beros subditos vindicarunt, & Epi-
 „scopos constituit Dominos bonorum
 „&

„& fortunaram, quæ illi legitime pos- Sæc. XVII.
 „sident tanquam propria, in quæ nulli A. C. 1641.
 „alteri jus quodlibet est: ac communi
 „& recepto juris nostri axiomati repu-
 „gnat, statuentis, ultimam ingenuo-
 „rum hominum morientium voluntatem
 „esse liberam.,,

„Quinto. Gravissimos aliquot erro-
 „res continet, inter quos sunt hi, Epi-
 „scopum posse licentiam concedere con-
 „versandi cum excommunicatis: quod
 „adversatur mandato Christi, Matth.
 „18. 17. Sit tibi tanquam Ethnicus
 „& publicanus; & Apostolorum sæpius.
 „2. Possere licentiam non residendi pa-
 „storibus concedere, cum tamen jure
 „divino, si fidi pastores esse velint, re-
 „sistere teneantur. 3. Reditum ad nu-
 „ptias parti innocenti post legitimum
 „divortium, quamdiu adulter maritus
 „vixerit, interdicitur contra Christi ex-
 „pressam mentem, Matth. 5. 32. & 19.
 „9. quibus locis nuptiæ post divortium
 „permittuntur. Nam si mæchatur, qui
 „novam uxorem ducit, nisi repudiata
 „priori uxore ob adulterium; tunc qui
 „repudiata priori uxore ob adulterium,
 „novam duxerit, non mæchatur: nam
 „vis hujus exceptionis, nisi ob adulte-
 „rium, est, ut contrarium supponat in
 „eo, quod excipitur, uti omnes refor-
 „matæ Ecclesiæ diserte contra Ponti-
 „ficios

Hist. Eccles. Tom. LX.

Nu

„ficios

Sæc. XVII. „ficios tuentur, qui eandem matrimo-
A. C. 1641. „nii indissolubilitatem in Synodo Tri-
 „dentina sessione 7. cap. 24. decreve-
 „runt. 4. Sic loquitur liber cap. 8.
 „§. 4. quasi Ecclesia hæc Scotica tam
 „in doctrina quam disciplina nondum
 „reformata esset, judicent vel cæci,
 „quam posticam hic sibi aperiant Epi-
 „scopi, qua impune doctrinam mutare
 „possent: ideoque nullam prorsus men-
 „tionem faciunt Confessionis fidei in
 „publicis Regni comitiis olim sancitæ.
 „5. Ordinem in sacris aperte inter Sa-
 „cramenta refert cap. 2. §. 7. Nam
 „quæ ad integritatem Sacramenti
 „(prout supra definitivè Catechismum
 „Liturgicum diximus) requiruntur,
 „hic invenies; nam ritus externus est
 „manuum impositio: Adest etiam in-
 „ternæ gratiæ promissum, quæ per im-
 „positionem manuum confertur: Ac-
 „cipe, inquit Episcopus ordinans, Spi-
 „ritum Sanctum. Et cum Dei gratiam
 „ordinandis precentur, oportet promif-
 „sum exstare, si preces ex fide esse vel-
 „lent. Divinam etiam institutionem
 „vindican, quasi Deus instituisset, ut
 „per manus Episcopi gratia illa confer-
 „retur. 6. Idem de Pœnitentia colli-
 „gere licet; alias, cur ejus partes, uti
 „Pontificii vocant, Confessionem & Ab-
 „solutionem sacramentalem vocarent,
 „vocem.

„vocemque hanc majusculis literis de-
 „pingi curarent, pag. 18. §. 9. Deni-
 „que ut fucō speciosiori omnia vela-
 „rent, Serenissimo Regi nostro adulan-
 „tur hic Episcopi nostri libri hujus au-
 „thores. Nam cap. 1. §. 2. quamcun-
 „que potestatem in rebus Ecclesiasticis
 „pii Reges inter judæos unquam obti-
 „nerunt, & exercuerunt, eandem
 „simpliciter & sine ulla restrictione Se-
 „renissimo Regi & ejus Successoribus
 „in hac Ecclesia tribuunt: unde sequi-
 „tur, Reges nostros Serenissimos au-
 „thoritatem habere consignandi & scri-
 „bendi libros Canonicos S. Scripturæ:
 „nam nulli ignotum est, Davidem &
 „Salomonem ea munera in Ecclesia ju-
 „daica exercuisse, & infallibiles fuis-
 „se, eatenus saltem, quatenus Spiritus
 „Sanctus amanuenses rexit & cap. 8.
 „§. 4. Regem ejusque Successores sta-
 „tuunt supremos Judices controversia-
 „rum omnium Ecclesiasticarum tam in
 „doctrina quam in disciplina: cum ta-
 „men suprema potestas determinandi
 „controversias in qualibet Ecclesia sit
 „penes Synodum nationalem legitime
 „vocatam & formatam, ut rotunde abs-
 „que verborum involucris loquuntur
 „Theologi ex magna Britannia a piæ
 „memoriæ Rege Jacobo ad Synodum
 „Dordracenam deputati, Sessione 29.
 Nn 2 „il-

Sæc. XVII.
 A. C. 1641.

Sæc. XVII. „illius Synodi, in responsione ad pro-
A. C. 1641. „testationem Remonstrantium. „

§. XV.

Insidiæ novo Lusitanæ Regi structæ.

*Vertot re-
vol. de Por-
tug. p. 237.*

Postquam Joannes in Lusitanæ Re-
gem a Proceribus populoque pro-
clamatus, inauguratusque fuerat, die
vigesima octava Januarii convocatis Re-
gni Ordinibus, suum jus ad coronam
discuti jussit, cum igitur ipse ex parte
Materna ab Eduardo Regis Emanuelis
Filio, econtra vero Hispaniæ Rex non-
nisi ab ejusdem Regis Filia successione
incapaci descendisse compertum esset,
hinc unanimi omnino suffragio pro le-
gitimo Lusitanæ Rege habebatur:
Postea Oratorem suum Michaellem de
Portu - Gallo Episcopum Lameganum
die vigesima Novembris Romam decre-
vit, ut pro more Urbano VIII. Ponti-
fici Maximo filiale obsequium deferret.
Hunc vero Legatum a Papa minime
acceptandum censebant Cardinales Hi-
spanis addicti, quæ tamen disceptatio
brevis dirempta, & Orator admissus est,
eoquod Curia Romanæ consuetudo fe-
rat, quod dissidentibus de Regno Prin-
cipibus, ejus, qui Regnum possidet,
Legatus admitteretur, ne interim Re-
ligio, resque Ecclesiastica detrimentum
patia.

patiat. Ita pariter Lusitani Oratores in Sæc. XVII.
 Suecia, Francia, Anglia, aliisque Re- A. C. 1641
 gnis perhonorifice excipiebantur, solus
 Daniæ Rex Hispanos Austriacosque
 offendere veritus, Franciscum Susam
 Cetinum non tanquam Oratorem Re-
 gium, sed ut Nobilem Lusitanum ad-
 misit. Vicissim vero hi Reges Ulyssi-
 ponam Legatos novo Regi gratulatum
 miserant: sed nempe, raro recens fe-
 licitas satis tuta adversus invidiam est;
 inter ipsos enim festivos aggratulan-
 tium applausus Ulyssipone imo in ipso
 Regis Palatio detestanda conflatur con-
 spiratio, quæ Regi sceptrum & vitam
 eripere parabat: indigna res quibus-
 dam Lusitaniæ Proceribus visa est,
 eum colere Regem, quocum eodem
 ferme die honores & obsequia æquali
 sorte partiebantur, atque inter ceteros
 Sebastianus de Mattos Bragæ Archi-
 episcopus, se contemptum & Pro-
 Regiam custodiæ datam indignatus, ei-
 dem libertatem, ac sibimetipsi auctori-
 tatis suæ continuationem Regis excidio
 procurare statuit: Vocabat in consilii
 sui societatem Villa-Regium Marchio-
 nem, & Aveirum Ducem, ambos Re-
 gio sanguine fatos, Armamarum Co-
 mitem Archiepiscopi Nepotem, Balle-
 rasium Comitem, Augustinum Corream,
 Carvalium Regii thesauri Custodem
 Nn 3 plu-

Sæc. XVII. pluresque alios, qui sua munia, ac fortuna-
 A. C. 1641. nas Hispanis in acceptis olim referabant.

Hi ergo consilia sua de Bragantio unacum Coniuge & liberis evertendo cum Olivario primario Hispani Regis Ministro conferunt, ac jamjam inter se præcipua Regni munia in fidelitatis præmium distribuunt, silentibus cunctis, conjuratoque studio speratam felicitatem suppressentibus: Præfigebatur magnanimo huic ausui quinta Augusti dies, in qua Judæi noctu in quatuor regii Palatii angulis, variisque urbis ædibus ignem injicerent, & conjurati incendium extinguendi specie Regem, regiamque familiam interciperent, Hispanis interim cum valida classe appulsuris: Haud exiguæ tamen molis erat, Olivarium de conceptæ conjurationis serie certiozem reddere; omnes enim Regni fines ob detecta Pro-Reginæ cum Hispanis commercia regio satel- lite solerter custodiebantur: Seligebatur tamen ditissimus quidam Mercator, qui ob vastissimum per universam Europam commercium literas in Hispaniam mittendi libertatem a Rege obtinuerat: Huic ergo conjurati literas ad Olivarium scriptas consignant, quas ipse ad Marchionem de Agumomente, qui in extremis Lusitanix finibus Gubernatorem agebat, misit, in Hispaniam deferendas:

das: Hic autem hasce literas Inquisi- Sæc. XVII,
toris Lusitani sigillo munitas, atque A.C. 1641.
ad primarium Hispaniæ Ministrum in-
scriptas admiratus, eas aperuit, illas-
que comperto conjurationis consilio ad
Regem transmisit. Obstupuit Rex,
quin tamen periculi gravitas animi se-
renitatem turbaret; præprimis igitur
copias vicinas Ulyssiponem sub recen-
sionis obtentu ingredi jubet, Archiepi-
scopum quoque & Villa - Regium ad
suum cubile accersit, necnon Cami-
neum Ducem, ceterosque conjuratos
summo silentio custodiæ dari præcipit.
Regis jussa ad amussim executioni dan-
tur, ac sine ullo strepitu nondum evo-
luta quarta horæ parte quadraginta
septem conjurati in vinculis hærent:
subjiciuntur quæstioni, atque inter eos
Bæza Judæus ceteris prior crimen fas-
sus est, ceteris vero aut confessis aut
convictis, Rex præcipuos conjuratio-
nis Authores capite, ignobiliores au-
tem suspendio plecti jussit: Sebastianum
denique Bracarensem, ne Papam, Au-
striacamque Domum offenderet, ad
perpetuos carceres damnavit. Quam-
vis igitur nupera conjuratio contra Hi-
spaniæ Regem prosperum sit fortita exitum,
hæc tamen in Lusitaniæ Regem
mota feliciter detecta est, ita dispo-
nente Divina Providentia, quæ cuncta

Nn 4

nec

Sæc. XVII. nec Principum, nec subditorum crimina, impunita abire permittit, ne Principes subditorum tyranni evadant, & subditi Principum potentiam timere discant.

§. XVI.

Galliarum Regis victoriæ contra Hispanos.

Jæger. Hist. Eccl. l. I. cap. 2. Calmet hist. Univ. l. 151. Interim Ludovici XIII. Franciæ Regis exercitus, quos in variis Regionibus contra Hispanos eduxerat, vario Marte pugnabant; & quidem in Italia Honorius Grimaldus Monacensis Princeps, quod Hispani suæ arci & urbi pro arbitrio dominarentur, indignatus, clam cum Franciæ Rege conspirabat, excussoque Hispaniæ Regis obsequio, admittis Gallis Hispanos e suo Principatu expulit, in perfidiæ præmium a Gallo Rege titulo Ducis Valentiniæ honoratus. Paulopost Harcurtius Comes Cuneum urbem feliciter captam Sabaudinæ Duci restituit. In Flandria vero Melleraius Franciæ Marescallus Ariam urbem aggressus non sine cruenta oppugnatione illam die vigesima Julii deditione cepit, quam tamen Mense Decembri Hispani diuturna obsidione recuperarunt: Res melius successit in Catalonia Philippo Mottæ - Hodancurtio, quem

quem Franciæ Rex in Barcinonensium Sæc. XVII.
 opem submiserat; postquam enim Ca- A. C. 1641.
 taloni cives Marchionem Vellium, quem
 Hispaniæ Rex cum valido agmine in re-
 belles immisit, a Barcinonensi urbe tanto
 furore repulerant, ut Hispani projectis
 armis sese Tarraconem nuper deditio-
 nem captam præcipiti fuga recipere cogeren-
 tur, mox Hodancurtius novis auctus
 copiis Tarraconem obsidere cæpit, a
 qua tamen obsidione per classem Hi-
 spanam non sine clade & dedecore re-
 pulsus, ex ipsa Martis frustratione ani-
 mum redintegravit, atque in ditone
 Ruscinonensi Canetum, Elnam, & Ar-
 gilliam cepit, Hispanosque hanc Pro-
 vinciam e Castilia infestantes, diver-
 sis præliis prospero Marte confertis
 repressit.

§. XVII.

*Belli inter Urbanum VIII. Papam,
 & Ducem Parmensem exorti
 initia.*

Post tot, tamque cruenta bella, qui- Palat. Vit.
 bus Christianus Orbis tanto tem- Urb. VIII.
 pore scæde lacerabatur, repente in ipsa pag. 558.
 Romana urbe novi belli incendium e- Nam Hist.
 rupit, Causa illius erat cupiditas, Venet. l. 12.
 factusque Barberinorum Nepotum, qui pag. 563.
 senescente Urbano Papa pro arbi-
 trio, summoque Imperio in urbe domi-
 naban-

Nn 5

Sæc. XVII.
A. C. 1641.

nabantur, suasque divitias novis ditio-
num urbi vicinarum accessionibus au-
gere certabant: cum ergo Paulus III.
Farnesius familiam suam Parmæ & Pla-
centiæ Ducatu, necnon Castriensi di-
tassent, Barberini alienæ felicitatis æ-
muli Castrum, utpote Romanæ urbi
vicinum, sibi vindicandi, occasionem
aucupabantur: nec ea quærentibus
deerat; cum enim Octavius Farnesius
Parmensis Dux Romæ pecunias ad
quæstum recepisset, & creditoribus in-
pensionem annuam proventus ex Ron-
cillione, & Castro assignasset, Rainu-
tius vero Odoardi Filius intermissa so-
lutione Creditores ad paupertatem re-
digeret, hi querelis & gemitu aures
Pontificis fatigare cæperant. Indulfit
tamen Pontifex Odoardo, ut census
imminuere posset: ex hac ipsa vero Ur-
bani benevolentia orta est Nepotum æ-
mulatio, qui Odoardum obliquis aspi-
cientes oculis, acerbisque criminatio-
nibus laceffitum eo compellebant, ut
exosum Barberinæ Domus Regimen
Pontifici aperiret, seque Roma discef-
surum indicaret. Querelas Urbanus
magno dolore, obortisque ubertim la-
crimis exceptit, Odoardus autem, in-
salutatis Francisco & Antonio Cardina-
libus Barberinis, Roma excessit, quin
creditoribus suis satisfecisset: unde eo-
rum

rum præcipui apud Romanum tribunal, Sæc. XVII,
 & Barberinos instabant, ut Castrum A. C. 1641.
 eis oppignoratum, necnon rei frumen-
 tariæ apparatus venderetur: In jus vo-
 catur Odoardus a Judice, quem tamen
 sibi infensum fore ratus, prætermissa
 juris via armis sese defendere statuit,
 milloque Delphino Angelerio cum co-
 piis Castrum muniri jussit. Horum
 ignari erant Barberini, quorum impulsu
 Castrum missi sunt exactores, qui rem
 frumentariam utpote creditoribus ob-
 noxiam Romam conveherent: Ast hi
 inde reduces, annonam a Duce navi-
 gii impositam, ad exteros fuisse eve-
 ctam, Castrum vero præfidiariis, no-
 visque operibus munitam nuntiabant.
 Hæc Barberini, in Pontificis contem-
 ptum tentata credebant, quocirca
 Octavius transmissio decreto monetur,
 ut intra triginta dies dimissis præfidi-
 ariis propugnacula recens erecta ever-
 teret, si secus, tanquam refractarius
 sacris, profanisque armis oppugnandus
 esset. Odoardus his minis haud territus,
 de contumacia accusatur, Pontifex au-
 tem Nepotum impulsu sex peditum mil-
 lia, & quingentos Equites ductore Lu-
 dovico Matheo Viterbium duxit: In-
 opinatus hic belli apparatus vicinos
 Principes sollicitos tenebat, ac præpri-
 mis Cæsaris, Regumque Oratores, &
 Nea-

Sæc. XVII. Neapolis Pro-Rex, Magnus Etruriæ
 & Mutinæ Duces, necnon Venetorum

Respublica sua interponebant officia, sua-
 dentes, ut calamo, non gladio hæ
 contentiones dirimerentur: Verum
 Barberini responderunt, concordie lo-
 cum non esse, nisi Odoardus se Sedis Apo-
 stolicæ clientem fiduciarium agnoscat,
 Romam veniat inermis, & pedibus ad-
 volutus Pontificis, commissi criminis
 veniam impleret. Præstituantur postea
 Odoardo alii quindecim dies, quibus
 evolutis hujus Principis bona creditori-
 bus ceduntur, Dux vero decreto ana-
 themate reus læsæ Majestatis, Parma,
 Placentia, omnique alio dominatu exui-
 tur, atque universus Castri Principatus,
 quem Delphinus ignave dederat, ac pro-
 pterea capite plexus erat, a Pontificio
 milite occupatur. Percepta Castri ja-
 ctura Odoardus foedere cum Hetrusco,
 Mutinensibus, Venetisque inito cunctos
 Religiosos admonuit, ne Pontificium
 anathema in usum deducerent, si qui
 vero illud pertimescerent, solum muta-
 rent. Interim vero Mutinensis Dux,
 aliique Italiæ Principes cum Barberi-
 nis controversiam amica transactione
 componere haud cessabant: Verum
 Barberini, ut Odoardum Ducem lenta
 molestia consumerent, & Mediatorum
 patientiam fatigarent, oppido duras
 pro-

proponerent concordiae leges: vicissim Sæc. XVII.
 vero Dux ad cuncta pacis consilia se A.C. 1641.
 paratum simulabat, ut temporis bene-
 ficio validiorem exercitum contrahere,
 expositisque rationum suarum momen-
 tis vicinos Principes sibi conciliare va-
 leret: Attamen Barberini, ne Castri
 possessione exuerentur, haud cunctan-
 dum rati, copiis ad Padi oras traductis,
 Melaræ urbi præsidium imponunt, &
 Ambrosium Carpineum jubent, ut
 transitum a Mutinensi Duce peteret,
 & in Parmensem Ducatum irrueret.
 Tum vero Veneti, quod rei suberat,
 suspicati, festinanter ductore Aloyisio
 Georgio cum exercitu cis Mincium in
 Mutinensis opem accurrunt: magnus
 quoque Etruriæ Dux milite & pecunia
 Mutinensem juvare properat: Horum
 concursu territus Carpineus, quindecim
 dierum inducias proposuit, ut apud
 sequestres de concordia ageretur: in-
 cassum tamen: Barberini enim cuncta
 pacis consilia eo fine eludebant, ut
 priusquam vicini armarentur, Parmen-
 sem ad obsequium cogerent: Pontifex
 quoque nova Cardinalium, quos antea
 rejecerat, inauguratione Cæsarem,
 Hispanos & Gallos sibi devincire nite-
 batur. Ejusmodi tamen sollicitationes
 Venetos non absterrebant, quominus
 cum Etruriæ & Mutinæ Ducibus mu-
 tuam

Sæc. XVII.

A. C. 1641.

tuam armorum societatem inirent, ne
autem bellum adversus Ecclesiam mo-
vere crederentur, promulgarunt, se
„arma parare contra illos, qui Ponti-
„ficiis armis, non pro Ecclesia, sed pro
„familia sua in Parmensis perniciem ab-
„uterentur: His ergo sacrilegia, cædes
„& rapinæ imputandæ forent., Ho-
rum auxilio fretus Odoardus, in Bo-
noniensem ditionem irrupit, direptaque
Plumaria urbe Pontificios in fugam
egit, ac per Etruriam profectus, ver-
sus Castellam ad Lacum castra promo-
vit, quo Lionæus Galli Regis Orator,
impellente Papa maxime consternato,
contendit, de concordia cum Odoardo
acturus. Pollicebatur hic obedientiam,
dummodo Castrum cuidam ex suis fœ-
deratis depositi nomine traderetur.
Rejecta a Barberinis hac conditione,
Odoardus Aquilam versus, incenso op-
pido Panicali, movit: Novo tunc ter-
rore perculsi Barberini, inducias, non
paciscendi, sed validiores copias Odoar-
do opponendi animo, per Valenzæum
Ducem Gallum petebant, Dolum sub-
esse suspicabantur Ducis Fœderati, ex
quibus Mutinensis Ferrariam interci-
pere festinabat, sed nimia festinatione
seipsum delusit: Odoardus tamen feli-
cior Bondenum, & Stellatam Ferra-
riensis Ducatus urbes deditioe cepit,
& Ve-

& Veneti captis pluribus oppidis An- Sæc. XVII.
 tonii Barberini Cardinalis molimina A. C. 1641.
 disjecerunt, Padique oram infedere.
 Aliquandiu utrinque mutuis, levibus
 tamen cædibus, & victoriis pugnatum:
 Romæ vero velut hoste penitus debel-
 lato tam ingens erat exultatio, ut e-
 tiam Principum Oratores, qui pacem
 conciliaturi aderant, abire juberentur:
 Hoc exemplo impulsus Venetorum Se-
 natus, vicissim Vitellio Papæ Nuntio
 Venetiis excedere præcepit. Tum ve-
 ro Barberini Venetam & Mutinensem
 ditionem, fœderati vero Bononiam in-
 festare certabant, æquato plerumque
 inter ipsos pene decore, & cladis igno-
 minia. Tandem Ludovicus XIII. Gal-
 liarum Rex Alexandrum Bichium Ve-
 netias misit, ut sepositis armis Italos
 reconciliaret: Annuit Senatus, ea lege,
 ut Castrum suo Principi restitueretur:
 inde Bichius Romam delatus, summo
 Pontifici Italix discrimen gravibus op-
 pido verbis exposuit. Obstupuit Ur-
 banus, rerumque hucusque gestarum
 ignarus, aut ignorare simulans, non
 sine magna animi commotione suis ex-
 probravit, quod Pontificias ditiones
 vicinorum Principum armis devastari,
 sibi celassent: mox igitur indicto Pur-
 puratorum Conventu suis Nepotibus
 præcepit, pacem reddere satagerent,
 prius-

Sæc. XVII. priusquam ipse senio confectus migraret e vivis. Tergiversabantur adhuc Barberini; donec tandem Pontificii milites capto Caraffa, Doria, aliisque pluribus magni nominis Tribunis prope Ferrariam a Venetis cæsi, fugatique fuissent: Tum vero pace inita, & restituito Castro, creditoribus ex Odoardi bonis satisfieri curarunt, Rex etiam Gallia pro Odoardo deprecabatur, & Cardinalis Bicchius fœderatos Principes Barberinis conciliabat, propositis concordia legibus, quæ a singulis signatæ die prima Maij anno Domini millesimo sexcentesimo quadragésimo quarto inter Missarum solemnia in Basilica ad S. Marcum palam promulgatæ fuerunt. Ita demum hoc Ecclesie bellum finitum est, quod majori tumultu, quam successu, potius ad populorum vexationem, quam hostium perniciem, rara clade, & victoriis ferme nullis, ab ejusmodi hominibus, qui ad pacis negotia aptiores fuerant, quam ad belli opera, per integrum triennium fuerat continuatum.

§. XVIII.

*Motus contra Jansenii libri editionem
Romæ excitati.*

*Abrege de
l'Hist. Eccl.
tom 3.
Leydeck. hist.
Jans. c. 23. I.*

Non minus acre, incruentum tamen, bellum in Romana Curia move-

movebatur contra editionem libri, quem **Sæc. XVII.**
 Jansenius sub nomine *Augustinus* con- **A. C. 1641.**
 scripsit: Postquam enim Jesuitis inno-
 tuerat, quod insuperhabita Molinista-
 rum oppositione & Nuntii Bruxellensis
 repugnantia, hic idem liber Lovanii a
 Joanne Zegero Typographo fuerit ex-
 cusus, eumque Henricus Calenus Bru-
 xellensis Archipresbyter & Dupontius
 librorum Censores approbassent, insti-
 gantibus Molinisticæ factionis fautoribus,
 præcipue Petro Biverio, Ignatio Der-
 kenni, & Joanne Longio Jesuitis, Stra-
 vius Apostolicus Nuntius Bruxellensis,
 datis ad Barberinum Cardinalem lite-
 ris exposuit, hac ratione violari Pauli V.
 & Urbani VIII. decreta, quibus veti-
 tum, ne circa gratiæ efficacis contro-
 versiam quicquam absque Sedis Apo-
 stolicæ licentia vulgaretur. Monitus
 ab hoc Cardinale Pontifex, non sine
 indignatione præcepit, ut hoc opus,
 quantum fieri posset, supprimeretur.
 Haud ægre id impetrari potuisset a Vi-
 ris parere assuetis, nisi ipsa prohibiti-
 one, & præcipiti severitate, prout fieri
 amat, impugnandi aviditas, & oppo-
 sitæ partis æmulationis fuisset accensa;
 mox enim, altera parte nondum audi-
 ta, novam hæresin conflare, concioni-
 bus in vulgus a Molinistis spargebatur,
 errorum catalogi evulgabantur, & Jan-
 senii

Hist. Eccles. Tom. LX.

O o

Sæc. XVII. A. C. 1641. Jansenii doctrina cum Calviniana conspi-
rare, ante Sedis Apostolicæ discussio-
nem & judicium jactabatur: præterea
Lovanienses Jesuitæ Jansenii librum,
publicis thesibus die vigesima secunda
Martii propugnatis, infectati sunt, sic-
que scintillæ adhuc sub cineribus laten-
tes in apertum incendium eruperunt,
sparsis ubique libellis, quibus Jesuiticæ
theses acriter impugnabantur: Vicem
repensuri Jesuitæ, die prima Augusti
ab Universali Inquisitione Romana de-
cretum impetrarunt, quo Janseniani
Augustini, nondum tamen perstricta ejus
doctrina, necnon thesium, ceterorumque
scriptorum ultra, citroque editorum
lectio fuit interdicta, non alio tanti
strepitus emolumento, nisi quod irri-
tata Eruditorum siti, Jansenii Augu-
stinus Francofordiæ, Colonix, & postea
Parisiis ac Rotomagi iterato prælo ex-
cuderetur, nequicquam obfistente Fa-
bio Gighio, aliisque. Adeo proclive
est in vetitum curiosi hominis ingenium.

§. XIX.

*Urbani VIII. Papæ Constitutio con-
tra Jansenii librum, aliaque
scripta.*

Bull. Magn. Urb. Const. Postquam vero Urbanus VIII. Ponti-
fex per eundem Gighium, necnon per

per Paulum Stravium Bruxellensem Sæc. XVII.
Nuntium & Barberinum Cardinalem A. C. 1641.

compererat, quod non modo Jansenii
liber, sed & plurima alia scripta tam
in illius defensionem quam oppugnatio-
nem promiscue omnium manibus ter-
rerentur, die sexta Martii edita Bulla,
quæ incipit: *In eminenti*, Pii V. Gre-
gorii XIII. & Pauli V. Pontificum Con-
stitutiones, quibus nonnullæ Theolo-
gorum opiniones prohibebantur, con-
firmavit, ac insuper Jansenii librum,
in quo Baianæ doctrinæ innovantur,
aliaque scripta de gratia, utpote sine
Congregationis sancti Officii permisso
edita prohibuit, his verbis:

„Novissime tandem accepto per Nos
„in Oppido (Civitate nuncupato) Lo-
„vaniensi, quosdam assertos Cornelii
„Jansenii olim Episcopi Iprensis Execu-
„tores ex Testamento in lucem edi cu-
„rasse librum, cui titulus, Augustinus,
„ex professo continentem, & tractan-
„tem materiam de Auxiliis nulla peni-
„tus petita, vel obtenta a dicta Con-
„gregatione licentia illum imprimendi,
„ejusque operis occasione Patres So-
„cietatis Jesu, nonnullas in Civitate
„Antverpiensi de eadem materia tra-
„ctantes Theses, pariter absque licen-
„tia ejusdem Congregationis, imprimi
„curasse; opinionesque Jansenii in præ-
„dicto

Sæc. XVII. „dicto libro contentas oppugnasse, rur-
 A. C. 1641. „susque nonnullas alias, Orationes,
 „Scripturas, Epistolas, Thesesque in
 „calce infra scripti Decreti nostri tunc
 „registratas, tam pro dicti libri Janse-
 „nii, quam thesium a Patribus Jesuitis
 „editarum defensione impressas fuisse,
 „non solum contra prædictorum Decre-
 „torum prohibitionem, sed etiam in
 „grave scandalum, & offensionem Ec-
 „clesiæ Catholicæ. „

„Nos, ut malis hujusmodi immi-
 „nentibus quanto citius occurreretur,
 „& ne in posterum ullus auderet dictis
 „Decretis contraire, per aliud Decre-
 „tum in alia plena, & Generali Con-
 „gregatione ejusdem sanctæ Romanæ,
 „& Universalis Inquisitionis coram No-
 „bis die prima Augusti proxime præ-
 „teriti habita, inhærendo prioribus
 „Decretis a Paulo Prædecesore, & a
 „Nobis, ut supra editis, pro tunc di-
 „ctum librum Jansenii, cui titulus:
 „Augustinus, Loyanii impressum, nec
 „Antverpiæ in lucem editas, aliasque
 „scripturas in calce posterioris nostri
 „Decreti hujusmodi registratas, jam
 „vigore anteriorum supra dictorum De-
 „cretorum prohibitas, de novo prohi-
 „bimus, ac pro prohibitis omnino ha-
 „beri volumus: Mandavimusque sub
 „pœna

„poena excommunicationis ipso facto Sæc. XVII.
 „incurrenda, ne quis cujuscumque sta- A. C. 1641.
 „tus, gradus, conditionis, & qualita-
 „tis, etiam speciali, & specialissima
 „nota dignus, librum, & Theses præ-
 „dictas, aliasque Scripturas, ut supra,
 „absque dictæ Sēdis licentia, in dicta
 „Congregatione sancti Officii obtinen-
 „da, retinere, & legere possit. Man-
 „davimus insuper omnibus & singulis
 „cujusvis Religionis, Ordinis, & Di-
 „gnitatis, Abbatiali, Episcopali, Ar-
 „chiepiscopali, & Patriarchali Digni-
 „tate suffultis, Collegiis, & Universi-
 „tatibus, sub prædictis, ut supra, ex-
 „communicationis ipso facto incurren-
 „dæ, interdicti Ecclesiastici respective,
 „aliisque arbitrio nostro pœnis infligen-
 „dis, etiam corporalibus, ne in po-
 „sterum auderent imprimere, nec quo-
 „quo modo in lucem edere libros, Tra-
 „ctatus, Compositiones, ex professo,
 „vel incidenter, etiam, sub prætextu
 „commentandi Divum Thomam, seu
 „in Philosophicis agendi de concursu
 „caussæ primæ cum secunda, & præ-
 „sertim defendendi, aut impugnandi
 „librum dicti Jansenii, cui titulus Au-
 „gustinus, vel Theses Patrum Societa-
 „tis Jesu, aliasque Scripturas in calce
 „dicti posterioris nostri Decreti, ut præ-
 „fertur, registratas, & prohibitas, aut
 O o 3 „alia

Sæc. XVII. „alia quavis occasione, vel modo de
A. C. 1641. „materia Auxiliorum divinatorum, seu
 „de gratia, & libero arbitrio tractan-
 „tes, sine expressa licentia a Nobis in
 „dicta Congregatione sancti Officii ob-
 „tinenda, donec aliud in hac materia
 „a Sede Apostolica prædicta foret or-
 „dinatum. „

„Absolutionem vero a prædicta ex-
 „communicatione, necnon interdicti su-
 „spensionem, & relaxationem, Nobis,
 „& dictæ Congregationi reservavimus:
 „Non obstantibus quibuscunque privi-
 „legiis, etiam sanctæ Cruciatæ, Jubi-
 „læi (etiam generalis) & facultatibus
 „Missionariorum, ac aliis a dicta Sede
 „emanatis, seu emanandis, quibus
 „omnibus in hac parte derogavimus:
 „Voluimusque ea omnia suum plena-
 „rium sortiri effectum, omnesque con-
 „tra facientes, ut supra, ligare, nec
 „quemquam excusari posse, etiam sub
 „prætextu, quod anteriora Decreta
 „Pauli Prædecessoris, & nostra, alias
 „ut præfertur edita, non forent in Pro-
 „vinciis intimata, vel usu recepta. Ir-
 „ritum quoque & inane decrevimus,
 „quicquid fecus super his a quoquam
 „quavis auctoritate scienter vel igno-
 „rante, contigerit attentari. Contra-
 „riis quibuscunque non obstantibus. Et
 „ne præmissorum ignorantia possit ab
 „ali-

„aliquo prætendi, voluimus, ut poste- Sæc. XVII.
 „rius nostrum Decretum hujusmodi, A. C. 1641.
 „seu illius exemplum, ad Valvas Basi-
 „licarum sancti Joannis Lateranensis,
 „& Principis Apostolorum de urbe, &
 „in acie Campi Floræ affixum, omnes
 „ita arctaret, & afficeret, ac si unicui-
 „que personaliter intimatum foret.,

„Nota vero Librorum, & Scriptu-
 „rarum prohibitarum, in calce poste-
 „rioris Decreti Nostri hujusmodi regi-
 „stratarum, hæc est. Liber, cui titu-
 „lus, *Augustinus*, impressus Lovanii Ty-
 „pis Jacobi Zegeri Anno 1640. & Pa-
 „risiis, 1641. *Theses Theologicæ* de gra-
 „tia, libero arbitrio, & prædestinatio-
 „ne, Antverpiæ apud Joannem Meur-
 „sum Anno 1641. Cornelii Jansenii
 „Lupensis Episcopi &c. *Laudatio funera-*
 „*lis* dicta a Rev. Fratre Joanne a lapide
 „&c. Lovanii, Typis Bernardini Marii
 „&c. Epistola idiomate Hispano, All
 „Eminentissimo Y Reverendissimo Sen-
 „nor Cardinal de la Cueva de la Congre-
 „gacion de la Sacra Inquisicion, por el Pa-
 „dre Pedro Bivero de la Compania de
 „Jesu Prædicador del Sennor Cardenal
 „Infante; data in Bruxellas 26. Henero
 „1641. *Memoriale* idiomate Hispano Car-
 „dinali Infanti Hispan. incipiendo Sere-
 „nissimo Sennor, & finiendo Como es V.
 O o 4 „Ca-

Sæc. XVII. „Cathol. Real. A. Libellus, cui titu-
 A. C. 1641. „lus: *Humilis, & supplex querimonia Ja-*
 „cobi Zegeres Typographi Lovaniensis
 „adversus Libellum R. P. S. J. Regiæ
 „Capellæ Bruxellis Concionatoris, &
 „*Theses P. P. Societatis*, Lovanii apud
 „Jacobum Zegers Anno 1641. primæ,
 „secundæ, & tertiæ editionis. *Memo-*
 „*riale* ad Eminentissimum Cardinalem
 „de la Cueva, circa querimoniam fri-
 „volam Jansenianam &c. contra *Theses*
 „*Theologicas, & Libellum supplicem*
 „&c. ejusdem de eodem tela ingesta,
 „& regesta. *Theses Theologicae Apolo-*
 „*geticae, & Miscellaneæ* adversus doctri-
 „nam Cornelii &c. sub prætextu queri-
 „monia Typographi Lovaniensis, edi-
 „tionis secundæ &c. Antverpiæ apud
 „Joannem Meursium Anno 1641. Li-
 „bellus, cui titulus, *Augustini Hippo-*
 „*nensis, & Augustini Iprensis, de Deo om-*
 „*nes salvare volente &c., Homologia &c.*
 „Lovanii apud Jacobum Zegers Anno
 „1641. *Epistola Liberti Fromundi, &*
 „*Henrici Caleni* Lovanii 16 Junii 1641.
 „R. P. Societ. Jesu Lovan. incipiendo:
 „*Theses vestras. Epistola Professorum S.*
 „*Thom. Colleg. Societat. Jesu Lovan. Li-*
 „*berto Fromundo, & Henrico Caleno,*
 „incipiendo: *Gratias agimus &c. Epi-*
 „*stola, cui titulus, Petrus Biverus Do-*
 „*ctoribus Jansenianis &c. Ad rem &c.*
 „in

„incipiens: *Ad rem, Amici &c. Som-* Sæc. XVII.
 „*nium Hipponense, five de Controversiis* A. C. 1641.
 „&c, Relatore Philetimo S. T. Baccal.
 „Formato, Parisiis Anno 1641. Insuper
 „omnes alii libri, Opuscula, Epistolæ,
 „Orationes, Theses &c. aliaque om-
 „nia tam edita hucusque, quam im-
 „primenda tam contra, quam pro Cor-
 „nelio Jansenio, ac Patribus Jesuitis.,
 „Cum autem ex diligenti, & ma-
 „tura ejusdem libri, cui titulus, *Au-*
 „*gustinus*, lectione, postmodum com-
 „pertum fuerit, in eodem libro multas
 „ex propositionibus a Prædecessoribus
 „nostris olim, ut præfertur, damnatas
 „contineri, & magno cum Catholico-
 „rum Scandalo, & auctoritatis dictæ
 „Sedis contemptu contra præfatas dam-
 „nationes, & prohibitiones defendi:
 „Nos huic malo, in scandalum totius
 „Reipublicæ Christianæ, & Fidei Ca-
 „tholicæ perniciem vertenti, oportu-
 „num remedium adhibere volentes:
 „Constitutionis Gregorii, ac Pauli Præ-
 „decessorum nostrorum, necnon Decre-
 „torum hujusmodi totos, & integros
 „tenores, ac datas etiam veriores præ-
 „sentibus pro totaliter expressis & in-
 „sertis habentes, Motu proprio, & ex
 „certa scientia nostra, ac de Aposto-
 „licæ Potestatis plenitudine, hac per-
 „petuo valitura Constitutione ejusdem
 O o 5 Pii,

Sæc. XVII. „Pii, & Gregorii Prædecessorum, hu-
A. C. 1641. „jusmodi Constitutiones prædictas,
 „omniaque & singula in eis contenta,
 „Apostolica auctoritate tenore præsen-
 „tium, perpetuo confirmamus, & ap-
 „probamus, librumque prædictum, cui
 „titulus est, Augustinus, Articulos,
 „Opiniones & Sententias in dictis Con-
 „stitutionibus reprobatas, atque dam-
 „natas, ut a Nobis compertum est,
 „continentem, & renovantem, aliaque
 „omnia opera præsentibus nostris litte-
 „ris sub inserta, quæ aliis sub poste-
 „riori Decreto nostro prædicto registra-
 „tis, per præsentis addimus, atque
 „adjungimus, eadem auctoritate, per
 „præsentis omnino prohibemus, ac pro-
 „vetitis, & prohibitis haberi volumus,
 „& mandamus. Jubentes insuper sub
 „omnibus pœnis, & censuris in præ-
 „dicta Constitutione Pii Prædecessoris
 „contentis, (quibus nullus Romano
 „Pontifice inferior, excepto mortis ar-
 „ticulo, absolvere contra facientes pos-
 „sit) ne quis cujuscunque conditionis,
 „& qualitatis sit, etiam speciali, & spe-
 „cialissima nota, & expressione dignus,
 „de prædictis, ut supra, damnatis, &
 „in prædicto libro contentis, aliisque,
 „(ut infra) sub insertis Articulis, Opi-
 „nionibus, Sententiis, Libellis, Ora-
 „tionibus, Scripturis, Epistolis, The-
 „sibus,

„sibus, quoquo pacto loqui, scribere, ^{sæc. XVII.}
 „& disputare audeat, librumque & alia ^{A. C. 1641.}
 „prædicta penes se retinere, vel legere
 „præsumat; Remanente nihilominus
 „in reliquis in suo robore posteriori De-
 „creto a Nobis in sacra Supremæ, &
 „Universalis Inquisitionis Congregatio-
 „ne, ut præfertur, edito; decernentes-
 „que sic, & non alias in præmissis om-
 „nibus, & singulis per quoscunque In-
 „terpretes, Doctores, Academias, Uni-
 „versitates, & Studia generalia, alias-
 „que Personas, Judices ordinarios, De-
 „legatos, mixtos, etiam Nuncios no-
 „stros, & Sedis prædictæ, sublata eis,
 „& eorum cuilibet, qualibet aliter ju-
 „dicandi, & interpretandi, ac glossan-
 „di, & decidendi facultate, & aucto-
 „ritate, ubique judicari, & definiri
 „debere; irritumque & inane, quicquid
 „secus super his a quoquam, quavis
 „auctoritate, scienter, vel ignoranter
 „attentatum forsitan est hætenus, vel in
 „posterum contigerit attentari. Non
 „obstantibus omnibus, quæ in dicto
 „nostro posteriori Decreto voluimus non
 „obstare, cæterisque contrariis qui-
 „buscunque. „

„Opera vero addita aliis, in calce
 „posterioris nostri Decreti, ut præfer-
 „tur, registratis, & prohibitis, sunt se-
 „quentia, videlicet, *Liberti Fromundi*
 „Sac.

Sæc. XVII. „Sac. Theologiæ Doctoris &c. *Brevis*
A. C. 1641. „*Anatomia* hominis, Lovanii apud Ja-
 „cobum Zegers &c. Anno 1641. *Con-*
 „*ventus Africanus*, sive disceptatio judi-
 „cialis apud Tribunal Præsulis Augu-
 „stini &c. enarratore Artemidoro Onei-
 „rocritico, A Rouen, Chez Nicolas de
 „Montaigne Anno 1641. *Memorial au*
 „*Roy* incipiens, *Jean Jansenius Chanoi-*
 „*ne*, &c. & finiens, *contra illa duo De-*
 „*creta Summorum Pontificum* &c. Item
 „*Attestatio Notarialis* &c. incipiens. *Ego*
 „*infra scriptus*, & finiens, *Petrus Min-*
 „*taert Notarius*. *Approbatio* sub nomi-
 „ne nonnullorum Theologorum ex va-
 „riis Religionibus tam Ordinum Mo-
 „nachalium, quam Mendicantium, nec-
 „non Archiepiscopi Philippensis, alio-
 „rumque Theologorum Clericorum Sæ-
 „cularium, Doctrinæ Cornelii Jansenii
 „in dicto libro Augustinus, contentæ,
 „incipiens: *Quid censendum sit de doctrina*
 „*in opere Reverendissimi Domini Cornelii*
 „*Jansenii Episcopi Iprensis sel. mem. nunc*
 „*Augustinus*, contenta, patebit ex subse-
 „quentibus attestationibus Doctissimorum vi-
 „rorum in Belgio, & alibi existentium &c.
 „& finiens: *Et me publico, & Apostolico,*
 „*ac dictæ Universitatis Notario, & scriba*
 „*jurato. Quod attestor, Petrus Minttaert*
 „*Notarius.*

Cete-

Ceterum, quamvis hujus Bullæ Sæc. XVII.
 promulgatio usque ad annum Domini A. C. 1641.
 millesimum sexcentimum quadragesi-
 mum tertium ob causas Francisco de
 Melo Belgii Governatori die vigesima
 quarta Octobris expositas fuisset dilata,
 nihilominus tamen adversus hoc Papæ
 diploma confestim non pauci suum ca-
 lamum strinxere, falso persuasi, quod
 tota S. Augustini, ac Conciliorum, sum-
 morumque Pontificum doctrina de gra-
 tia & libero arbitrio, instigantibus Cle-
 ricis Societatis, & Molinæ sectatoribus
 fuerit proscrip̄ta. Hujus tenoris erat
 epistola ad eundem Papam data sub
 hoc titulo: *Planctus Veritatis Augusti-
 nianæ in Belgio patientis*. Præterea Jan-
 senii partes tuebantur quamplurimi, ac
 præcipue Libertus Fromundus, qui
anatomiam hominis hoc anno scribens
 eandem Francisco Barberino Cardinali
 nuncupare, & compendium Augustini
 Janseniani ceu in tabula exhibere au-
 sus est. Florentius quoque Conrius Ord.
 FF. Minorum scriptum posthumum
 sub titulo: *Peregrinus Ferechuntinus*
 reliquit, quod hoc anno Parisiis Mabha-
 mara Hibernus Urbano Papæ dedica-
 vit. Denique Jansenii ejusque doctri-
 næ Apologeticum scripsit Jacobus Boon-
 nen Archiepiscopus Mechliniensis.

Sæc. XVII.
A. C. 1641.

§. XX.

Petri Aurelii liber a Clero Gallicano imprimi jussus.

*Vid. supra
l. 196. t. 59,
§. 103.
pag. 728.
Abrege de
l'Hist. Eccl.
t. 21. p. 66.
art. 9.*

Occasione Parisiensis censuræ contra Nicolai Schmithei librum pronuntiatae Joannes Vergerius, vulgo Abbas San-Cyranus dictus, sub e mentito nomine *Petri Aurelii* vindicias edidit. Hoc opus ipsemet Author tantopere commendabat, ut a sexcentis annis melius non prodiisse, scribere ausus sit, & Godellus seu Antonius Godeau Grassensis Præsul Vergerium, *Episcoporum defensorem invictissimum, veritatis amatorem acerrimum, Hierarchiæ Vindicem justissimum, & Theologum in avitæ Theologiæ sinu educatum* appellitare haud dubitarit: Præterea hoc anno Clerus Gallicanus eundem librum suis sumptibus imprimi jussit, ad editionem suppeditatis novem librarum millibus; honorificum autem elogium, quo idem Clerus Authorem celebrabat, jam supra adduximus. Nihilominus Rex totum hoc opus suppressit, & typographum in custodiam dari præcepit: Præsules tamen quidam illud recudi curarunt, eo quod Author religiosos ad Ecclesiæ Prælaturas inhabiles, Episcopos vero Pontifici suppres, ac plenitudine po-
testa

testatis in tota sua Diæcesi præditos Sæc. XVII.
 adulatorio calamo scripsisset: E contra A. C. 1641.
 rio Jesuitæ indigne ferentes, quod hic
 Auctor eorum libros contra Calcedo-
 nensem Episcopum a Papa in Angliam
 missum refutasset, & Grassensis Episco-
 pus Aurelii librum tam amplo elogio
 honorasset, adversus hunc Præfulem
 diras satyras vulgarunt, quarum prior
 titulum: *Godellus an Poeta* præsefert,
 & auctorem habet P. Franciscum Va-
 vasseur Jesuitam.

§. XXI.

Felix Centinus Cardinalis mortuus.

Inter tot belli tumultus, ac Ecclesiæ
 calamitates hoc anno sex Cardina- *Jongellin.*
 les in pace requieverunt, quos inter *Cat. Card.*
 primus erat Felix Centinus patria Ascu- *Ord. Min.*
 lanus ex Ordine FF. Minorum Con- *Ughell. Ital.*
 ventualium. Hic animi candore pari *Sacr.*
 cum doctrina conjuncto insignis post
 varia tam Ordinis, quam Ecclesiæ mu-
 nia summo prudentiæ, integritatis en-
 comio expleta, tandem anno hujus
 sæculi undecimo a Paulo V. Purpurato-
 rum Collegio adscriptus est, eodem-
 que die trigesima prima Augusti Mi-
 litensem, postea Mauratensem ac de-
 mum Toletinam Ecclesias Episcopus
 regendas suscepit, ubique indefessa di-
 ligentia

Sæc. XVII. A. C. 1641. ligentia gregem sibi commissum verbo & exemplo pascens, cultumque Divinum tam in populi cordibus, quam Ecclesiarum ornatu plurimum augens; quippe in Maceratenſi Ecclesia præter pretioſam ſuppelleſtilem ſacram, coemptis ædibus Seminarium inſtituit, in Militenſi Synodum coegit, diæceſin ipſus luſtravit, & vix non ultra vires Cathedralem Eccleſiam pretioſis ornamentis auxit. Eminuit præcipue in cultu Deiparæ, cujus obſequio ac patrocinio poſt Chriſtum Dominum Mediatorem noſtrum ſeſe totum devovit: Haud exiguam internæ ſuæ quieti moleſtiam intulit ejuſdem Nepos Jacobus Hyacinthus Centinus, de cujus fato ſupra mentionem ingeſſimus: Ubi tamen in noſtro Cardinale non caro & ſanguis, ſed juſtitiaæ amor prævaluit: Obiit tandem Maceratæ die vigelima quinta Januarii, ſepultus in Eccleſia ſancti Franciſci.

*Vid. ſupra
l. 199. t. 60.
§. 16. p. 58.*

§. XXII.

*Caroli Emanuelis Pii Cardinalis
obitus.*

*Ciacon. in
vit. Clem.
VIII. p. 364.*

Alter erat Carolus Emanuel Pius a Sabaudia primariæ Nobilitatis Ferrarienſis Princeps, qui anno ætatis ſuæ decimo nono a Clemente VIII. Cardinalis

nalis renuntiatus, primo Albanensem, Sæc. XVII.
 postea Portuensem, & tandem sacri A. C. 1641.
 Collegii Decanus Ostiensem Ecclesiam
 moderabatur; Corraferat ex frugalitate
 divitias, haud exiguas, quas in ege-
 nos, Religiosos, & Ecclesias larga ma-
 nu profudit, haud tamen immemor
 suorum Nepotum, quos in multis au-
 reorum millibus hæredes scripsit. Erat
 gloriæ percupidus, suæ profapiæ osten-
 tator, & acerrimus Cardinalitiæ digni-
 tatis assertor. Concidit tamen in ci-
 neres omnis gloriæ altitudo, postquam
 Carolus morbo epileptico correptus,
 ac trunco similis Romæ die prima Julii
 ætatis suæ anno sexagesimo tertio
 mundo valedixit.

§. XXIII.

*Joannis Francisci Comitis de Guidiis
 Cardinalis mors.*

Ejusdem Mensis die vigesima quinta Marac. in
 ibidem æquali ætate decessit Joan- Purp. Ma-
 nes Franciscus Comes Guidius de Bal- rian. Victo-
 neo Florentiæ natus. Hic a puero omni rell. in add.
 scientiarum genere excultus, præve- ad Ciacon.
 niente ætatem prudentia, vix decem
 & octo annos natus a Clemente VIII.
 Papa *utriusque Signaturæ Referendarius*
 nominatus est, paulopost eundem Pon-
 tificem Ferrariam, & Aldobrandinum
Hist. Eccles. Tom. LX. Pp Car-

Sæc. XVII. A. C. 1641. Cardinalem ad Henricum IV. Galliarum Regem comitabatur. Demum variis legationibus, & Præfecturis summam cum laude defunctus, Avenione cum Richelio Cardinale, qui tum Aulæ Regiæ exilus eo confugerat, arctissimam contraxit amicitiam, ac paulopost ipsus a Gregorio XV. ad Ludovicum XIII. in Gallias, necnon ab Urbano VIII. ad Isabellam Austriacam in Belgium Sedis Apostolicæ Nuntius decernebatur. Eisdem quoque Regi auctor præcipuus existit, ut arma stringeret in Rupellenses Hæreticos, a quibus tamen pretiosa sua suppellectili spoliatus est. Comitabatur quoque eundem Regem in expeditione Italica & Gallica contra Hugonotas: Anno autem Christi millesimo sexcentesimo vigesimo nono Cardinalis renunciatus, Cerviensem primum, ac dein Reatinam Ecclesiam Episcopus non modo pretiosis ornamentis ditavit, sed etiam celebratis Synodis, crebra visitatione, & salutaribus oppido statutis ad meliorem formam reduxit.

§. XXIV.

Ferdinandi Austriaci Hispaniæ Infantis Cardinalis extrema.

Brachet. hist. temp. l. 6. Ciacon. in vit. Pauli V. **H**unc pari, nimis tamen præmature fato sequebatur Ferdinandus Austriacus

striacus Hispaniæ Infans, ac Philippi III. Sæc. XVII.
 Regis Catholici, & Margarithæ Au- A. C. 1641.
 striacæ Filius. Hic materno cum lacte
 pietatem erga B. Virginem fugens, e-
 jusdem ope adhuc Puer periculoso ex
 morbo convaluit, suam vicissim grati-
 tudinem testatus, dum Ecclesiam san-
 ctæ Mariæ in Porticu, quam Cardina-
 lis Diaconus a Paulo V. anno ætatis
 suæ decimo in titulum obtinuerat, mu-
 nificentissima pietate dotabat. Prin-
 ceptus erat omnibus numeris absolutus,
 pius, verax & officiosus, cui tanta
 erat in ore, totoque corpore venustas,
 atque in sermone affabilitas, morum-
 que comitas, ut nedum Hispaniæ, sed
 totius Orbis oblectamentum, omnes in
 sui admirationem amica quadam vi ra-
 peret. Fuit juris Ecclesiastici defensor
 acerrimus, atque in Toletani Archiepi-
 scopatus Regimine, necnon Lusitana
 Legatione singularia suæ prudentiæ,
 integritatisque specimina edidit. Porro
 fenescente Isabella a Philippo IV. Fra-
 tre suo in Belgii Governatorem desti-
 natus, dum ejusdem obitum Barci-
 none perceperat, cum ingenti populo-
 rum applausu Regimen suscepit: Post-
 quam vero Sueci, eorumque fœderati
 Cæsareos non una clade prostraverant,
 Ferdinandus cum copiis Hispanicis in
 Germaniam festinato itinere movit, la-
 pfas-

Sæc. XVII. A. C. 1641. p̄sasque ibidem res Aufriacas, turba-
 tasque, mira Dei providentia opportuno
 auxilio erexit, atque ad Nordlingen-
 sem victoriam haud parum contulit:
 postea victor in Belgium reversus, hu-
 jus Provinciæ gubernationem auspica-
 batur: Hollandis vero Gallisque Bel-
 gium infestantibus, denuo in aciem
 progressus Venlonam primo, dein Ru-
 ræmundam interceptit, & recuperata
 Calloa urbe victoriam reportavit, ac
 Beatæ Virginis, cujus statuam Hæ-
 retici ibidem impie concremarunt, ho-
 norem reparaturus, in Ecclesia Paro-
 chiali aliam Deiparæ statuam vindicati
 sacrilegii testem collocari iussit. Demum
 in Picardiam contra Gallos irumpens,
 aliquot urbes expugnavit: cum vero in
 Ariensi obsidione noctis frigora, & diei
 æstus pateretur, in febrin incidit, qua
 intra bimestre consumptus Bruxellis
 die vigesima sexta Octobris anno æta-
 tis trigesimo secundo, Belgici Regimi-
 nis septimo pie in Domino obdormivit.

§. XXV.

*Antonii Sanctacrucii Cardinalis
 decessus.*

*Clacon. in
 vita Ur-
 bani VIII.*

Eundem annum vitæ suæ postremum
 habuit Antonius Sanctacrucius Pa-
 tricius Romanus, qui interpretatis exer-
 citia

citia adolescens, non modo in literis hu- Sæc. XVII.
 manioribus, sed & Theologiæ & ju- A.C. 1641.
 risprudentiæ studio inter suos semper
 eminuit, Doctoratus laurea decoratus.
 Repuntiabatur a Gregorio XV. Proto-
 notarius Apostolicus & Referendarius,
 ab Urbano VIII. Campaniæ Maritimæ
 Prætor, Archiepiscopus Seleuciensis,
 Legatus, & apud Poloniæ Regem Nun-
 tius Apostolicus ac demum Cardinalis:
 postea ab Ecclesia Theatina ad Urbi-
 nensem translatus quinto sacri Regi-
 minis sui anno lenta ptisi obrutus, die
 vigesima quinta Novembris annos na-
 tus quadraginta quatuor Romæ mor-
 talitatem cum Purpura exiit.

§. XXVI.

*Francisci Boncompagni Cardinalis
 fata.*

Postremus inter Purpuratos hoc anno Eggs Purp.
 denatos erat Franciscus Boncom- doct. l. 6.
 paguus, Gregorii XIII. Nepos. Hic pag. 294.
 primævo naturæ beneficio ad omnem
 pietatem efformatus, obtenta juris le-
 gumque scientia & laurea Clericali mi-
 litæ adscribebatur: Adolescens adhuc
 plura Romanæ Curie munia obibat,
 totque præclara eruditionis, pietatis-
 que argumenta edebat, ut meritorum
 suffragio a Gregorio XV. Purpura Ro-
 mana,

Sæc. XVII. A. C. 1641. mana, & ab Urbano Pontifice Perusina, & Umbriensi Legatione, necnon Neapolitano Archiepiscopatu decorari mereretur. Erat sane inculpatae vitæ Præsul, in omni scientiarum genere, græcoque sermone versatissimus, continentia adeo insignis, ut Confessario suo teste, virgineum candorem æque intemerate tumulto reddiderit, quam integrum a Deo post Sacrum Baptisma acceperat: Tam munificus erat in pauperes, ut in eos Neapoli plusquam ducenta quadraginta aureorum millia expendisse credatur: singulis quoque diebus duodecim pauperes epulo exceperit, liberalior adhuc in eos, quos vel verecundia mendicare prohibebat, vel egestas ad prostituendum pudorem sollicitabat: Postquam vero anno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo tertio Vesuvius mons inter horrendos mugitus atque intestina tonitrua terribiles flammæ, iisque permixtos lapides ignitos evomeret, extremumque Neapolitanæ urbi excidium minitaretur, bonus hic Pastor decreta supplicatione, & implorata Dei Sanctique Januarii ope divinam indignationem a suo populo avertit, suaque liberalitate incolarum quamplurimos mortis metu hinc inde dispersos reduxit, atque egenos, infirmosque eleemosynis, porrectisque medic-

dicamentis sublevavit, majorique ad-
 huc sollicitudine cunctos ad pœniten-
 tiam induxit: Tandem vero acuta febrī
 correptus vitam religiosissime trans-
 actam Neapoli die nona Decembris sancto
 fine conclusit, anno ætatis suæ qua-
 dragesimo sexto, Archiepiscopalis Re-
 giminis decimo quinto.

Sæc. XVII.
 A. C. 1641.

§. XXVII.

*Duodecim Cardinales ab Urbano Pon-
 tifice Purpura decorati.*

Horum Cardinalium jacturam abunde
 compensabat Urbanus VIII. Ponti-
 fex Maximus, dum die decima De-
 cembris apud S. Petrum in Vaticano
 duodecim Prælatos Cardinalium Col-
 legio adscripsit: Hos inter primus erat
 Franciscus Maria Macchiavellus Flo-
 rentinus Patricius, Cardinalis Presby-
 ter titulo SS. Joannis & Pauli II. Asca-
 nius Philomarinus patria Neapolitanus,
 qui eodem die Archiepiscopali Neapo-
 litanæ Ecclesiæ dignitate & Romana
 Purpura decoratus titulum S. Mariæ
 in Aracæli obtinuit. III. Marcus An-
 tonius Bragadenus Venetus ex Vicen-
 tino Episcopo Cardinalis Presbyter tit.
 S. Marci. IV. Octavianus Raggus Ge-
 nuensis, Cardinalis Presbyter tit. S.
 Augustini. V. Petrus Donatus Cæsius
 patria

Ciacon. in
 vita Urban.
 VIII. p. 599.

Sæc. XVII. patria Romanus Cardinalis Presbyter
A. C. 1641. tit. S. Marcelli. VI. Hieronymus Ve-
 rospius itidem Romanus Presbyter Car-
 dinalis tit. S. Agnetis in Circo Ago-
 nali. VII. Vincentius Maculanus Ord.
 FF. Prædicatorum, Presbyter Cardi-
 nalis tit. S. Clementis. VIII. Fran-
 ciscus Perettus Montaltus, patria Ro-
 manus, Cardinalis Presbyter tit. S.
 Hieronymi. Hunc sicut & sequentes
 duos a Cæfare, Hispano & Gallo Regi-
 bus nominatos Pontifex, eoquod non
 indigenæ essent, promovere recusabat,
 postquam vero Odoardus Parmæ Dux
 cum fœderatis Principibus Pontificias
 ditiones invaserat, Papa horum Regum
 patrocinium, favoremque sibi conciliatu-
 rus, tandem illorum votis cessit. IX.
 Julius Mazarinus in oppido Piscinæ na-
 tus, Cardinalis sine titulo. X. Ray-
 naldus Estensis, patria Mutinensis Car-
 dinalis Diaconus tit. S. Nicolai in Car-
 cere. XI. Julius Gabriellius Romanus,
 Cardinalis Diaconus tit. S. Agathæ.
 XII. Virginius Ursinus pariter Roma-
 nus, Diaconus Cardinalis tit. S. Mariæ
 in Porticu,

§. XXVIII.

Principum, atque illustrium obitus.

Inter

Inter Principes hoc anno defunctos merito recensendus venit Magnus Ordinis Teutonici Magister Joannes Casparus ex illustrissima Stadianorum familia ortus, excitatae prudentiae Princeps, atque ex intimo Cæsaris consilio. Die autem trigesima Aprilis decessit Georgius Dux Brunsvico - Luneburgensis, cujus Vidua insuperhabitis Saxoniae Electoris sollicitationibus, & Piccolomini minis Hildesheimii novum foedus cum Gallis Suecisque contra Austriacos erexit; Successorem habuit Ducem Christianum Filium suum. Obiit etiam Dresdae die decima octava Aprilis sexagenarius Joannes Georgius de Arnheim Cæsarei, ac Saxonici exercitus Bellidux longe celebratissimus.

Sæc. XVII.
A. C. 1641.

Barre Hist.
d' Allemagn.
tom.

§. XXIX.

*Quaedam Urbani VIII. Pontificis
Constitutiones.*

Præter Bullam contra Jansenii librum editam Urbanus VIII. Pontifex hoc anno alias quoque Constitutiones promulgavit: & primo quidem die vigesima secunda Martii, ad importunas preces FF. Laicorum Ordinis S. Francisci de Paula, declaravit, quod deinceps hi Fratres in admissione Novitiorum suffragium ferrent. Præcepit quoque

Bullar.
Magn. Ur-
ban. Const.
269.

Pp 5

idem

Sæc. XVII. idem Pontifex die decima nona Augusti,
 A. C. 1641. ut Religiosi Præmonstratenses in Hispania habitum recens assumptum deponerent, nec prænomen *Fratri* dimitterent.

§. XXX.

Varia Sacrarum Congregationum decreta.

*S. Congr.
 Concl. Rit.
 Imm. &c.*

Exstant plures Sacrarum Congregationum decisiones, quarum nonnullas huc adducere lubet, & primo quidem, die decima nona Januarii Sacri Concilii Congregatio decidit, quod Parochus unius Diæcelis non possit confessiones excipere in alia Diæcesi sine licentia Episcopi Diæcesani. Exorto autem gravissimo dubio circa injuriarum satisfactionem apud Terracinenses, Sacra Episcoporum Congregatio die prima Martii declaravit, quod pacem cum alio facere nemo compellatur, cum sufficiat in foro Conscientiæ intus injuriam remittere, ac rancorem deponere, nec offensus teneatur satisfactionem, vel publicam apud Judicem injuriæ ex Justitiæ Zelo prosecutionem offendenti condonare, licet esset Parochus, & alii ex hoc scandalizarentur, quia si prosequitur vindictam per viam Justitiæ absque odio (quod asserenti credendum est) scan-

scandalum videatur potius passivum, Sæc. XVII.
quam activum. A. C. 1641.

Ejusdem Mensis die quinta sacra Immunitatis Ecclesiasticæ Congregatio decrevit, quod absolutio a Censuris sit personaliter petenda: Dubitantibus autem Posnaniensibus Canonicis, an Abbas, si non susceperit benedictionem, possit exercere ea Pontificalia, quæ Abbates benedicti exercere consueverunt, negando respondit sacri Concilii Congregatio die decima tertia Aprilis. Declaratum quoque die undecima Maij a sacra Rituum Congregatione, quod semper & ubique debeat præcedentia Vicario Generali supra Dignitates & Canonicos, tam præsentem, quam absentem Episcopo, dummodo Vicarius incedat cum suo habitu Vicariali, nempe cum subtana & Mantello, & dummodo Dignitates & Canonici non sint Sacris vestibus induti.

Die autem decima tertia Septembris decisum est, tolerandum esse, ut Canonici tribus anni Mensibus frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in Sacristia, confessiones vero excipiantur in Ecclesia, & intra crates, quando tamen necessitas vel rationalis causa aliter non suadeat: ac etiam in Sacrario, vel alio decenti loco poterint audiri, super quo non liceat Episcopis,

Sæc. XVII. A. C. 1641. scopis, neque per se, neque per suos deputatos visitare Confessionalia, sive loca Regularium, ubi Confessiones audiuntur, nec etiam ad effectum videnti, an sint juxta ipsorum Decreta, sed hoc relinquendum sit omnino Visitatoribus suorum Superiorum.

Nec tamen teneantur Regulares petere licentiam ab Episcopo, vel Curato accedendi ad infirmos pro Sacramento Pœnitentiæ administrando, sed sufficiat, si postea fidem habitæ Confessionis in Domo eorundem Infirmorum relinquunt: In Edicto autem Episcopi quoad prohibitionem audiendi Confessiones ante ortum, & post occasum Solis, non sit facienda specialis mentio de certo genere Personarum, sed loquendum absolute, & simpliciter de omnibus, nempe, quod nemo administret tale Sacramentum nec ante, nec post dictum tempus, nisi tamen necessitas, vel rationabilis causa aliter suaserit.

Præterea die vigesima septima ejusdem Mensis a S. Episcoporum Congregatione declaratum, quod Confessarii Monialium non teneantur petere ab Ordinario Licentiam alloquendi Moniales, vel ingrediendi Monasterium ob necessitatem ministerii, nec sint cogendi ab Episcopo ad hujusmodi licentiæ petitionem.

Deni-

Denique die septima Decembris ^{Sæc. XVII.}
 Sacra Rituum Congregatio decidit, ^{A. C. 1641.}
 quod non liceat in media nocte Nativitatis Domini, post Missam decantatam, celebrare successive alias duas Missas, & in eis sacram Communionem exhibere | Fidelibus illam deposcentibus, sed utrumque omnibus prohibitum sit.

§. XXXI.

Synodi Diœcesanæ Culmensis decreta.

Die duodecima Junii hoc Anno Casparus Dzialynskius Culmensis & Pomesaniæ Episcopus suam habuit Synodum Diœcesanam, in qua præprimis suorum Prædecessorum sanctiones jam antea ad Cleri populique reformationem factas integre servari præceptum est, prohibitumque, ne Confessarii deinceps pro poenitentia Missas perse celebrandas Laicis poenitentibus injungant. Quoniam vero multis in locis Ecclesiæ belli præteriti injuria ad eam redacti fuerunt inopiam, ut nequidem Sacerdos ali valeat, hinc Episcopus juxta privilegium Leonis X. Anno 1515. pro Regno Poloniæ concessum indulgit, ut unus Sacerdos in uno die duas Missas in duabus Ecclesiis celebrare quidem valeat, sed duntaxat in festis Circumcisionis, Epiphaniæ, Pascha-

*Hartzh. t.9.
 Concil. Germ.*

Sæc. XVII. schatis, Pentecostes, Assumptionis & A. C. 1641. Purificationis B. V. S. Joannis Baptistæ, Petri & Pauli, Sanctorum omnium & Defunctorum Commemoratione. Interminata etiam anathematis poena cunctis Regularibus inhibita, ne in Oratoriis privatis aut Ecclesiis vacantibus, in quibus Sæculares jus Patronatus prætendunt, Missam celebrare, Verbum Dei prædicare, aut Sacramenta administrare absque speciali Episcopi licentia præsumant. Extirpavit insuper Synodus tanquam pravam, superstitiosam, & a Diabolo ad retrahendos homines a cultu Divino inventam consuetudinem, qua nonnulli venam judgmentis die sancti Stephani aperiri curant. Denique præcepit Synodus, ut pro senibus & pauperibus Clericis Domus erigantur, & Culmensis Schola pristino statui restitatur.

§. XXXII.

Scriptores Catholici hoc anno defuncti.

*Dupin Nouv.
Bibl. Siecl.
XVII.*

Paucos ex Scriptoribus Catholicis, qui hoc anno obiere, recensere volumus, & quidem I. Septuagenario major decessit Joannes Cordesius Lemovicensis Canonicus, qui non modo Historiam Camilli Portiæ de Neapolitanis

tanis turbis Gallice reddidit, sed etiam Sæc. XVII.
dissertationem de S. Martiale, & tra- A.C. 1641.
ctatum de dissidiis Paulum V. inter &
Rempublicam Venetam præter plura
alia edidit. II. Claudius Tiphanius
Jesuita, qui scripsit monitionem ad hæ-
reticos Metenses, necnon declaratio-
nem ac defensionem Scholasticæ doctri-
næ SS. Patrum, & Divi Thomæ de
Hypostasi & Persona pro illustrando
SS. Trinitatis & Incarnationis Mystero
præter alium tractatum, cui titulus:
de Ordine deque priori & posteriori. III.
Carolus de Condren Congregationis
Oratorii Generalis, qui posthumo
prælo quosdam Polemicos & Morales
tractatus sub titulo: *Discursus & epi-
stolæ*, reliquit. IV. Christophorus de
la Murca Salmanticensis Episcopus edi-
dit Constitutiones Synodales, libros de
prima Canariensis Episcopatus fundatio-
ne & translatione, vitas horum Episco-
porum, & brevem relationem Cana-
riensis Insulæ. V. Joannes Baptista
Cocinus scripsit decisiones Rotæ Ro-
manæ, & tractatum de electione Pon-
tificis Romani. VI. Henricus Ram-
pen Lovaniensis Doctor edidit com-
mentaria in quatuor Evangelia. VII.
David Mauden Bredanæ Ecclesiæ De-
canus, qui posteris reliquit discursus
morales in præcepta Decalogi, specu-
lum

Sæc. XVII. lum aureum vitæ moralis, seu Tobiam
A. C. 1641. & Alethologiam seu Veritatis explica-
tionem. VIII. Antonius Hiquæus pa-
tria Hibernus, qui vindicias Francica-
nas contra Abrahamum Bzovium, &
tria volumina in quatuor libros senten-
tiarum evulgavit. IX. Jacobus Gor-
don Jesuita, scripsit Biblia Sacra cum
commentariis, opus chronologicum ab
orbe condito usque ad sua tempora,
Diatribam de Catholica veritate, nec-
non tractatum de rebus Britannicæ &
Caroli I. nuptiis. X. Lucas de Soria
Hispalensis Canonicus elucubravat tra-
ctatus de Passione Christi, & de separa-
tione sceminarum a Viris in Templis:
libros quoque Bellarmini de arte bene-
moriendi Hispanicè reddidit.

§. XXXIII.

*Scriptorum A catholicorum obitus &
opera.*

*Freher.
Theatr. e-
rud. part. 1.
sect. 3.
Weisman
Introd. in
mem. Eccl.*

Ex Scriptoribus A catholicis non pauci
hoc anno extremum diem obiere,
nonnullos tamen ex illis seligimus. I.
Obiit die nona Julii annos natus octo-
ginta novem Joannes Thornborough
natione Anglus, qui tractatum de Eu-
charistiæ Sacramento, & de Testamen-
to Christi Domini, necnon de Unitate
& pace Ecclesiæ præter Historiam unio-
nis

nis Angliæ & Scotiæ sub adventum Sæc. XVII.
 Jacobi I. Regis edidit. II. Nicolaus A. C. 1641.
 Petræus scripsit octodecim disputatio-
 nes Theologicas, & tractatum contra
 Machiavellum Principem. III. Rober-
 tus Burhill edidit librum de potestate
 Regia & usurpatione Papali pro tor-
 tura Torti contra Paralellum Andreæ
 Eudæmon, alium quoque librum pro
 tortura Torti contra Becanum, item
 assertionem pro Jure Regio contra eun-
 dem &c. IV. Franciscus Gomarus Ca-
 put Supralapsariorum in Belgio, nec-
 non implacabilis præcipue Arminii &
 Remonstrantium hostis: scripsit specu-
 lum veræ Ecclesiæ contra Costerum,
 conciliationem orthodoxæ doctrinæ de
 Providentia Dei, examen controver-
 siarum de genealogia Christi, investi-
 gationem de origine Sabbati & diei
 Dominicæ, præter commentaria in no-
 vum Testamentum. V. Joachimus
 Willius edidit S. Pauli & Jacobi Sym-
 phoniam, in qua hæc S. Jacobi verba
 ex cap. 2. v. 24. *ex operibus justificatur
 homo, non ex fide TANTUM* conciliare
 nititur cum textu D. Pauli ad Rom. 3.
 v. 28. *arbitramur justificari hominem per
 fidem sine operibus legis: si autem Willius
 ad Lutheri Magistri sui exemplum ne-
 quiter non addidisset particulam: tantum,
 facile perspicere potuisset, hos textus*
Hist. Eccles. Tom. LX. Qq ne-

Sæc. XVII. nequidem apparenter sibi repugnare,
A. C. 1641. sed D. Paulum loqui de operibus legis

Mosaicæ, requirere autem ad justificationem, legem fidei Christianæ, seu operibus vivæ & perfectæ, uti habetur cap. 12. ad Rom. & præscribitur Jacob. cap. 2. Joannis epist. tota & in Actor. Apost. cap. 10. & v. 4. VI. Joannes Corbet acuit calamum suum contra rebelles, qui adversus Carolum I. Angliæ Regem *conventioni* seu fœderi subscripserunt: propterea tamen in Hiberniam profugere coactus, ibidem capite plexus est. VII. Jacobus Herrenschild edidit osculologiam Theologicam, Amorem crucifixum, Dissertationem de Bacchanalibus, Postillam Neo-Symbolicam, Jubilæum I. Augustanæ Confessionis, Passionis Dominicæ Violarium, & de absurditatibus in Reliquiarum cultu. VIII. Elias Schedius edidit librum de Diis Germanis seu veterum Germanorum, Gallorum, Britannorum, & Vandalorum Religione.

§. XXIV.

Cæsarei in Westphalia ab Hassis, Suisque profligati.

Adlxv. Annal. Boie. part. 3. l. 27. Brachel. hist. temp. 1. 6.

Insequens annus, qui erat hujus sæculi quadragesimus secundus, ple- rumque Catholicis, Cæsareisque intau-

fitus fluxerat; postquam enim Gallo-
 Vinarienses, ductore Gebriando, ad
 Welaliam, Batavis transitum conce-
 dentibus, Rhenum trajecerant, mox
 Hallsis conjuncti in agrum Coloniensem
 cum toto exercitu infesti sese effude-
 runt. Cognito periculo Elector Colo-
 niensis Hatzfeldium ex superiore Ger-
 mania, Lamboium vero e Belgio cum
 suis copiis confestim evocavit. Substi-
 terat tum Lamboius prope Kempenam
 in castris suis oppido munitis, nil ho-
 stile ea ex parte veritus, cum Vinarien-
 ses die decima septima Januarii hora
 diei undecima illum aggrediuntur: nun-
 tiatur Lamboio, Sueco - Gallos jam
 esse in propinquo, hic vero improvido
 hostis contemptu prandium suum, quod
 eadem hora sumpserat, absolvit, jussis
 duntaxat legionibus, ut si quæ vis im-
 mineret, paratæ essent: Jamjam hostis
 vicinum campum, ordinibus ad pugnam
 instructis occupat, valloque imminet,
 jamque tempus instat, nec Cæsareus
 tamen miles injussu Ducis arma capere,
 aut in ordines ire audebat: denuo ad-
 monitus Lamboius tandem cum dua-
 bus legionibus, Equitumque agmine
 festinus accurrit, & Gebriandum pri-
 mo impetu a limitaneo aggere repellit;
 cum autem reliquis Lamboii miles huc
 illucque sparsus, incompositusque tam
 subito

Qq 2

Sæc. XVII. subito in aciem disponi haud posset,
A. C. 1642. quin Gebriandus varias munitiones,
 aggeresque superasset, aperto interea
 aditu Vinarienses Hassique cum omni
 exercitus robore Lamboianos aggre-
 diuntur, eosque, etsi ad duas prope
 horas ancipiti victoria pugnassent, tan-
 dem vi ac numero suorum obruunt, at-
 que in fugam agunt: Occubere ex
 Cæsareis in acie bis mille quingenti,
 ceteri ferme omnes vel in fuga cæsi,
 vel ad signa Gallo - Suecica coacti:
 capti fuerunt quater mille, atque inter
 eos ipse Lamboius, & Mercius, præ-
 ter Tribunorum potissimos. Insuper
 centum & octo pedestria, necnon quin-
 quaginta octo equestria vexilla cum
 omnibus sarcinis, sexque belli tormen-
 tis Victori in prædam, & victoriæ
 triumphum cessere. Vinarienses vero
 prosequendæ victoriæ intenti, Kempe-
 na urbe & arce expugnatis, Novesium
 post octo dierum oppugnationem, alias-
 que Ubiorum inferiorum arces, & op-
 pida subegerunt. Hæsit tamen rapi-
 dus Victorum cursus apud Lechenium,
 ignobile quidem, strenui tamen militis
 præsidio munitum oppidum; quod Gal-
 lo - Vinarienses non sine luculenta su-
 rum strage per aliquot hebdomadas ve-
 hementer, incassum tamen, obsederant,
 tandemque a Bavaro - Cæsareis ducta
 Comi-

Comitum Hatzfeldii & Wahlii repulsi ob- Sæc. XVII.
 fidionem solvere coacti, in sua apud Or- A. C. 1642.
 dingam castra reverti compellebantur.
 Hanc ignominiam ulturus Gebriandus,
 plurimos circum pagos injecto igne
 exulsiit. Sub idem ferme tempus
 Joannes Werthius supremus Bavarici
 equitatus Bellidux, qui ex Gallica ca-
 ptilvitate ad Cæsaris castra Zonsæ po-
 sita reversus erat, prope Botbergam
 Gallo-Vinarienses pabulatores ingenti
 clade protrivit; cum vero postremum
 hostis fugientis agmen iterato furore
 lacefferet, ab iisdem circumventus,
 cæsis suorum non paucis, ægre cum
 reliquis elapsus est: magis tamen se-
 cunda forte in crebris velitationibus
 Cæsarei contra Suecos dimicabant.

§. XXXV.

*Varii pacis tractatus suo successu
frustrati.*

Adhuc plurium Principum Oratores Barre Hist.
 de componenda Palatinorum causa d' Allem.
 Viennæ consultabant, cum Rowæus tom. 9.
 Angliæ Regis Legatus, & Palatini Ora-
 tores de componendo hoc dissidio actum
 fore declararent, nisi præter Electora-
 lem dignitatem uterque Palatinatus
 integer restitueretur. Horum petitioni
 haud difficilem sese exhibuit Maximi-
 lianus

Qq 3

lianus

Sæc. XVII. A. C. 1642 lianus Bavarix Elector, ea tamen lege, ut Hispani pariter a Palatinatu inferiori decederent, & Ferdinandus III. Cæsar aut pretium, quod pro superiore Palatinatu, ceterisque regionibus cis Rhenum Ferdinando Maximilianus persolvisset, refunderet, aut pignoris loco Anassinam superioris Austrix ditionem adhuc eidem obstrictam Imperator cederet. Circa Electoratum autem a sequestribus expectabat Maximilianus modum aliquem utrique parti acceptum: Hispanus quoque Orator Palatinatus inferioris restitutionem pollicebatur, dummodo Palatini declararent, quid pacis & satisfactionis pro hac restitutione sperari posset? Mentem suam desuper dilerte explicabat Cæsar, die sexta Maij edito desuper decreto: quoniam vero Rowæo & Palatinis propositæ a Cæsare conditiones & reconciliationis temperamenta a Sequestribus adhibita non arriderent, imo Vidua Palatina se in suis literis Viennam datis adhuc dum pro Bohemix Regina, Silesix, Moravix & Lusatix Ducissa gessisset, hinc tota hæc negotiatio in irritum cecidit: nec magis prosper erat Moguntini colloquii successus: Eo conveniant diē octava Aprilis Moguntinus, Coloniensis, & Bavarus Electores de liberaturi, qua ratione post Lambou cladem

cladem Rheni confinia contra victores Sæc. XVII.
 Suecos tuerentur, pacemque Germa- A. C. 1642.
 niæ redderent: cum autem graviora,
 quam a tam paucis Imperii Principi-
 bus decerni possent, proponerentur ne-
 gotia, res ad ampliorem Imperii Con-
 ventum Francofordiæ Mense Septembri
 celebrandum remissa est, qui tamen
 Conventus, cum Brandenburgicus nol-
 let, & Saxonicus Elector propter obsi-
 dionem Lipsiensem venire haud posset,
 in Mensum Januarium anni insequentis
 differebatur: interim vero Reckius Pa-
 derbornensis Ecclesiæ Decanus Romam
 decernebatur, ut Electorum Catholico-
 rum nomine Papam rogaret, quatenus
 Franciæ Regem saltem ad peculiarem
 cum Imperio pacem hortari velit.

Convenerant quoque Brunscivo - Lu-
 neburgici Duces Goslarium, ut de op-
 portunis in Cæsaris obsequium redeun-
 di mediis deliberarent, verum Sueci
 & Hildesienses privatis suis commodis
 intenti acriter sese opposuere. Pari
 quoque successu Casselenses de recon-
 cilianda Cæsaris gratia cum Ferdinan-
 di III. Legatis egere; cum autem nec
 a Sueco-Gallico foedere discedere, nec
 a Fuldenis Episcopatus oppressionibus
 desistere vellent, minus serio egisse cre-
 debantur. Nihilominus Cæsar, ut de
 generali pace consultaretur, omnem
 Qq 4 nava-

Sæc. XVII. A. C. 1642. navabat operam, hancque in rem publicæ securitatis literas ad Principum vota Hamburgum transmissit, ut eas ibidem Daniæ Rex, utpote selectus pacis arbiter, Regum Principumque Legatis die prima Decembris exhiberet: non deerant tamen quorundam Principum Oratores, qui ad discutiendas hæc literas longius temporis spatium sibi indulgeri, certumque inchoandis Sessionibus tempus præfigi peterent. Batavi quoque novas ejusmodi literas ex ipsa Regia sibi transmitti, a Francisco Melo Oratore Hispano postulabant; ita nempe, quo ardentiore studio Cæsar maturandæ paci insistebat, eo remissius lentiusque ceteri ad pacem festinabant.

§. XXXVI.

Silesia & Moravia a Torstenfonio Suecorum Duce subacta.

*Bougeant
Hist. tric.
bell. p. 1. l. 7.
tom. 1.*

Postquam Bannerio fatis functo, Leonardus Torstenfonius novus Suecorum Polemarchus cum sex recentis militiæ millibus sese Hassis & Vinariensibus conjunxerat, cum Gebriando Comite convenit, ut hic cum Gallis suis in Westphaliam irrumperet, ipse vero per Silesiam in Bohemiam moveret: Obstiterat rapido Suecorum cursui Franciscus

ciscus Albertus Dux Saxo-Lauenbur- Sæc. XVII.
 gicus, qui e Silesia Suecos prope exe- A. C. 1642.
 gerat, atque in Lusatia hosti pleraque
 ademerat præsidia. Actum fuisset de
 Suecorum rebus, nisi Torstensonius ad-
 juncto sibi Königsmarchio validum mi-
 litem in Silesiam inopino impetu effu-
 disse; parem enim Lauenburgicus Dux
 hostem instare compererat, cum Tor-
 stensonius jamjam in Lusatia inferiore
 Luckenum, & Gabam urbes, in Sile-
 sia Gloggaviam, pluresque civitates
 qua vi, qua deditioe subegisset, mo-
 tisque ad Schweinizium castris Cæsa-
 reos ad prælium provocasset: Enim-
 vero Lauenburgicus collecto milite
 Königsmarchium aggressus, eundem
 fugavit, atque ad Torstensonii castra
 rejecit; infausto tamen victoriæ succes-
 su; Torstensonius enim fugitivo agmi-
 ne auctus, cum Cæsareis prælium com-
 misit, in quo vix una pugnabatur hora,
 cum Cæsarei hostium numero obruti,
 victique tria suorum millia in acie, sex
 legiones in fuga amitterent, captis bis
 mille equitibus, quos inter Hanovius,
 & quadraginta sex magni nominis Tri-
 buni, ac demum ipsemet Lauenburgi-
 cus Dux, qui duplici vulnere saucius
 decima sexta post pugnam die seu de-
 cima Junii obiit: Parta hac victoria
 Königsmarchius Schweinizium dedi-
 tione,

Q 9 5

Sæc. XVII. tione, & Nissam armorum vi expugna-
A. C. 1642. bat: Torstenfonijs vero Olomuzium
 principem Moraviæ urbem tertia jam
 impressione facta in suam redigebat po-
 testatem Antonio Miniato urbis Præ-
 fectò præproperæ deditiois culpam
 Viennæ posthac capite expiare coacto:
 Ita demum intra paucos Menses, ce-
 leritate & felicitate pene incredibili no-
 vus hic Bellidux universam fere Sile-
 siam & Moraviam subegit, & veluti
 deambulando depopulatus est. Inde
 tam insolitus Viennæ terror, ut Leo-
 poldus Archidux, & Pi colomineus
 collectis ad Brunam copiis Torsten-
 fonium e Moravia propellere statuerent:
 Nec omnino defuit animosis conatibus
 optati eventus prosperitas; Leopoldus
 enim Suecis non una clade prostris,
 Nissam recuperavit, nec non expugnato
 Olomutzi Suecos a Briganzæ urbis ob-
 sidione depulit, promotisque in Bohe-
 miam castris hostem ab hujus Regni fi-
 nibus arcere satagit.

§. XXXVII.

Cæsareorum clades apud Lipsiam.

Interim vero Torstenfonijs novis, quas
 Urangelius e Suecia adduxerat, sup-
 petiis auctus, in Saxoniam contendit,
 & Albi ad Torgaviam trajecto Lipsiam
 obse-

obsedit, quocirca Archidux nil cunctatus, confestim in hostem movit: Sæc. XVII.
A.C. 1642. cognito autem Cæsareorum adventu Torstenfonius relicta Urbis obsidione Archiducem instructa acie die vigesima tertia Octobris adoritur, sinistro tamen pugnæ initio; jam enim Cæsarei sinistram hostis alam disjecerant, dexteramque tormentis, vexillisque potiti fregere: Collegerat tamen sese dextera Suecorum acies, quæ restaurato certamine sinistram Piccolominæi alam in fugam egit. Nondum tamen penes Cæsareos amissa erat victoriæ spes; universæ enim Archiducis copiæ adhuc intactæ prostrato ferme Suecorum exercitu palmam in manibus tenebant, ubi vero Sueci a tergo in peditatum irruerant, victoria desperata, & ingens Cæsareorum clades secuta est, non tam fortitudine Suecorum, quam ignavia equitatus; hic enim, ne inuito quidem certamine fuga dilapsus est, secumque Hungaros & Croatas traxit, qui subito timore perculsi nudatas lateribus legiones Suecorum gladiis concidendas relinquere: Occubuere ex Cæsareis ferme sex millia, captis quater mille gregariis, & plusquam quatuordecim primæ dignitatis Tribunis. Triumpho loco habebatur, inter tot occisos, captosque servatum fuisse Archiducem, qui rebus
jam-

Sæc. XVII. jamjam desperatis immota fortitudine
 A. C. 1642. per medias hostium phalanges cum le-
 gione Prætoriana sibi viam ferro aper-
 ruit: Ut vero ignaviam, qua præcipue
 Madloniana legio omnium prima, reli-
 quis strenue adhuc pugnantibus, præ-
 lio excefferat, ad ceterorum terrorem
 plecteret, Archidux Centuriones, Ve-
 xilliferos, & reliquos inferioris Ord-
 nis Præfectos, & ex gregariis decimum
 quemque sorte legendum plumbeis glo-
 bis trajici jussit: ipse vero Joannes
 Georgius Madlonius Chiliarcha Pra-
 gam in vinculis deductus anno sequenti
 capite plexus est. Ceterum Torsten-
 sonius parta hac victoria Lipsiensem ur-
 bem & arcem facili negotio ad dedi-
 tionem compulit: ex adverso autem
 Cæsareo-Bavari, postquam Hasso-Vi-
 narienses inedia confecti Rhenum re-
 meare coacti fuerant, recuperato Mar-
 coduro oppido, Suecisque non una
 clade repulsis in superiorem Germa-
 niam contenderunt.

§. XXXVIII.

Gallorum Res in Catalonia & Belgio.

Daniel Hist. de France t. 10. p. 58. Eodem anno Hodancurtius, quem Lu-
 dovicus Franciæ Rex in rebellium
 Catalonorum opem submiserat, die de-
 cima nona Januarii haud procul Barci-
 none

none cæsis quinque Hispanorum milli- Sæc. XVII.
 bus Tamaritam Arragoniæ urbem vi A.C. 1642.
 cepit, ac secundo prælio Hispanis re-
 pullis Ilerdam munitissimam arcem ob-
 sidione liberavit. Pari successu Meille-
 rayus Franciæ Marescallus Colibram
 Ruscinoneutis Comitatus urbem post
 unius mensis obsidionem die decima
 tertia Aprilis, necnon Perpinianum
 non tam vi oppugnantium, quam an-
 nonæ penuria, & fame sexto ferme ob-
 sidionis Mense ad deditiois necessita-
 tem die septima Septembris compulit,
 validamque hanc urbem ad annem
 Thetim sitam rebellantibus Catalonis
 tradidit. Accessit ad cumulum malo-
 rum strages pene internecina Hispano-
 rum prope Ilerdam, necnon Hispanæ
 classis ruina in Cataloniæ ora, ac de-
 mum Salsulanæ urbis expugnatio: Tam
 rapidam Gallici exercitus felicitatem
 haud parum promoverat præsentia Lu-
 dovici Regis, qui ipse tum in Narbo-
 nensi Provincia agens, Gallis audaciam
 & virtutem, Catalonis vero rebellibus
 spem animumque indiderat. Verum
 in Flandria sinistram belli fortunam ex-
 periebantur Galli; postquam enim Fran-
 ciscus Melo Belgii Governator cum vi-
 ginti quinque Hispanorum millibus Atre-
 batum validam Artesiæ urbem cinxe-
 rat, converso repente cursu Lendium
 urbem

Sæc. XVII. urbem tertio obsidionis die Gallis eripuit:
 A. C. 1642. indeque Bassèam contendens, hanc ci-
 vilitatem armis suis subegit, promotis-
 que in Picardiam castris prope Hone-
 curtium commisso prælio Guichium
 Franciæ Marecallum magna clade af-
 fecit, captis Gallorum bis millibus, to-
 tidemque ferme in acie cæsis. Hæc
 clades haud parum Catalonicæ victo-
 riæ lætitiâ imminuit, quin tamen
 Hispanas res multum promoveret, eo-
 quod Galliarum Rege inter Viduam
 Sabaudicæ Ducissam & Mauritium Car-
 dinalem ejusque Fratrem Thomam con-
 cordiæ pacta Taurini die decima quar-
 ta Junii conciliante, ambo hi Sabau-
 dicæ Principes ab Hispanis ad Gallicas
 partes transiissent, & insuper Franci-
 scus Melus intercepto victoriarum cur-
 su regredi jussus fuisset, ut Mosæ tran-
 situs observaret, indeque Vinarienses
 per agrum Coloniensem grassantes
 prohiberet.

§. XXXIX.

*Cimmartius Marchio & Thuanus ca-
 pite plexi.*

*Mem. Hist.
 par Arme-
 lot tom. 2.
 pag. 276.
 Abregé de
 l'Hist. Eccl.
 tom. 10.*

Interea Franciæ Aula intestinis turba-
 batur motibus, quorum origo hæc
 erat: Deperibat Rex Hautefortiam No-
 bilem Matronam, quam Richelius Car-
 dinalis

dinalis aula quidem amovere statuit, Sæc. XVII. A.C. 1642.
 ut vero Regis mœrorem ob hujus fœ-
 minæ absentiam conceptum tempera-
 ret, juvenem Regi aliunde acceptum
 subrogare nitebatur: Selegit igitur præ-
 ceteris Henricum Effiatum Cimmartij,
 seu ut alii volunt, Sammartii Marchio-
 nem, qui etiam præclaris suis naturæ
 dotibus tam arcte Regis animum sibi
 devincire noverat, ut præter intimam
 Regis gratiam ad supremam Regii sta-
 buli Præfecturam, novosque honores
 evectus, nil consummatæ fortunæ re-
 liquum haberet, nisi ut insuper prima-
 riæ Ministri dignitatem consequeretur:
 Inde vero acuebatur æmulatio Richelii
 Cardinalis, qui improvido prorsus con-
 silio, ne novus hic Cliens deinceps se-
 cretis adhiberetur consiliis, nec Ma-
 riam Nivernii Principem sibi matrimo-
 nio jungeret, minus vero Ducis ac
 Franciæ Paris titulo decoraretur, præ-
 pediebat, eique per Sentionum nuntiarum
 jussu, sibi cum Rege tam arcana
 pertractanda esse negotia, ut ea alte-
 rius cujuscunque præsentiam exclude-
 rent: Hæc res tantopere Cimmartio
 stomachum moverat; ut in Cardinalis
 excidium juraret: sui quoque consilii
 exitum in expedito fore crediderat,
 eoquod in familiari colloquio sæpius de-
 prehendisset, quod nimia Cardinalis
 poten-

Sæc. XVII. potentia ipsimet Regi molesta accide-
 A.C. 1642. ret, Rexque nonnunquam Cimmartio
 indulgisset, ut clam ea adhiberet
 media, quibus Richelii auctoritas de-
 primeretur: quoniam vero adversa Re-
 gis valetudo proximam præfagiret mor-
 tem, nec satis privatus ejusdem favor
 illum contra publicam Cardinalis aucto-
 ritatem tutum redderet, hinc in consilii
 sui executionem potentes sibi fautores
 conciliare nitebatur: præprimis igitur
 per Franciscum Augustum Thuanum
 literas ad Bullionium Ducem, juratum
 Richelii hostem dedit, quibus ipsum
 ad conjurationis societatem sollicitans,
 rogabat, ut nulla mora Parisios veni-
 ret: Hic quoque non modo iter suum
 accelerabat, sed præterea Aurelianen-
 sem Ducem Regis Fratrem in suas par-
 tes haud ægre pertrahebat; Dux enim
 præter veteres indignationes, quas ad-
 versus Richelium conceperat, nova
 insuper suspicione torquebatur, ne Car-
 dinalis, mortuo Rege, Franciæ ad-
 ministrationem sibi vendicaret. Utro-
 que igitur apud Sanctum Germanum
 conveniente, Cimmartius exposuit,
 „Regem periculoso decumbere morbo,
 „& Cardinalem neglecta Regina & Au-
 „relianensi Duce, Galliarum Regimini
 „inhiare, igitur præter commune peri-
 „culum, privatam quoque, idque longe
 „majus

„majus imminere Duci, si Cardinalis Sæc XVII.
 „prævaleret; nil ergo magis consultum A. C. 1642.
 „in præsentis rerum vicissitudine esse,
 „nisi ut Bullionius Sedanum, urbem
 „munitissimam in omnem invisæ fortis
 „eventum tanquam tutum asylum Duci
 „cederet, nullaque mora cum Hispa-
 „niarum Rege de validis militum sup-
 „petiis ageret, ut inuito prælio Harcur-
 „tii & Guichii copiæ a Sedanensi vici-
 „nia propelli possent, demum vero Ri-
 „chellius per Cimmartium occideretur.,
 Placuit cunctis hoc consilium, cujus
 tamen executionem morabatur repen-
 tinus Cardinalis morbus; hunc enim
 alias brevi moriturum sperantes, cæ-
 dem differebant, quinimo ipsemet Car-
 dinalis, qui conflatæ conjurationis non
 omnino ignarus erat, studiose de vita
 sua actum esse, per suos amicos & Chi-
 rurgos in vulgus spargebat. Postquam
 vero Regem Perpiniani in castris ex
 gravi morbo decumbere, innotuerat,
 confestim in Aula, & exercitu varia
 animorum studia sese prodebant, aliis
 Meillerayo Richelii fautori, aliis Cim-
 martio adhærentibus. Brevi tamen
 recuperata Regis sanitas hosce tumultus
 adhucdum sedabat, simul tamen
 Regis animo aversionem contra Cardi-
 nalem augendi medium Cimmartio in-
 spirabat, qui opportune Regi suggestit;

Hist. Eccles. Tom. LX.

Rr quod

XVII. quod immodica Cardinalis ambitio, & A. C. 1642. regnandi cupiditas, unica horum motuum causa exstitisset: Tum demum Cardinalis, ex Regia aversione hostium suorum numerum ac potentiam indies crescere cernebat, quapropter securitati consulturus, Narbonam secedere constituit: Jamjam unius diei iter agebat, cum eidem foederis, quod Mense Martio Madriti firmatum Aurelianensis Dux cum Hispanis pepigerat, descriptum exemplar ab ignota manu submittitur, quod Richelius Cardinalis nulla mora ad Regem deferri curat. Obstupuit Rex, iteratam Fratris sui rebellionem, Cimmartii ingratitude, & ceterorum perfidiam detestatus: mox igitur Narbonam delatus, remoto omni strepitu Cimmartium, & Thuanum, necnon Bullionium tum Casali in Italia agentem comprehendi jubet, die sexta Augusti datis ad Parisiense Parliamentum literis questus, quod Rex Hispaniae quater centies mille aureos ad contrahendum in Francia militem Aurelianensi Duci, Bullionio autem & Cimmartio octoginta aureorum millia ea lege pollicitus esset, ut Sedanensem urbem valide munirent: Tum primum Cardinalis de hostibus suis triumphabat, instructisque judicii actis Cimmartium & Thuanum nonnisi triginta quin-

que annos natum Lugduni die secunda Sæc. XVII.
 Septembris capite plecti iussit; ejusdem A. C. 1642.
 quoque supplicii severitatem Borbonius
 ea lege redimere permittebatur, ut Se-
 danum Regi cederet, Aurelianensis
 vero Dux vitæ gratiam quidem obti-
 nuit, nunquam tamen amplius Regis
 conspectum subire permissus, Anne-
 cyum in Sabaudiam emigrare jussus
 est. Ceterum habentur ad calcem de-
 cimi quinti Voluminis Historiæ Thua-
 næ Gallice redditæ plura monumenta,
 quibus Thuani innocentia vindicatur,
 ipsiusque excidium accelerandi media
 tum adhibita indicantur. Fertur e-
 tiam, quod ipsius Soror haud procul
 a Richelii Cardinalis tumulo, Lazari
 Sororem, dum Christum ad fratris sui
 sepulcrum conducit, depingi jussit
 cum hac epigraphe: *Tu si hic fuisses,
 frater meus non mortuus esset.*

§. XL.

Armandi Richelii Cardinalis obitus.

Paulopost die quarta Decembris iter Ciacon. in
 vita Ur-
 banus VII.
 Journal du
 Card. Richel.
 Vassor. Hist.
 de Louis
 XIII.
 Mem. du
 & Minist. de
 Richelieu.
 æternitatis ingrediebatur ipse Car-
 dinalis Armandus, qui omnes suos ho-
 stes, ipsamque fortunæ invidiam felici-
 ter vicit, a sola morte devictus. Hic
 præclaro genere ortus, in Navarra
 Collegio literis præsertim Philosophicis

Rr 2

Sæc. XVII. & Theologicis egregiam navabat ope-
A. C. 1642. ram, laurea decoratus: Erat latini,
 græci, Itali & Hispani idiomatis opti-
 me gnarus. Nondum vigesimum pri-
 mum ætatis annum expleverat, cum
 jamjam Lucionensis Episcopus obtenta
 ætatis venia Romæ inauguraretur:
 mortuo autem Henrico IV. Galliarum
 Rege Parisios reversus, cum summa
 laude, præsentibus etiam sæpe Ludo-
 vico XIII. ejusque Matre, Verbum Dei
 prædicabat: turbatis autem Franciæ
 rebus, Luynæus Richelium Avenio-
 nem in exilium, & Mariam Medicæam
 Reginam, Blesis in carcerem detrule-
 rat, inde vero ab eadem revocatus Ri-
 chelium recuperata Luynæi gratia Re-
 ginam Blesis elapsam Engolismæ in-
 visit, eamque Filio suo Regi reconci-
 liavit, in laboris præmium Regiæ gra-
 tia, & Romana Purpura decoratus.
 Defuncto Luynæo Regina Richelium
 ad apicem gloriæ, & supremum Fran-
 ciæ Ministrum evehere adlaborabat,
 cumque ipse Vir esset supra privatorum
 fortem summus, ad Franciæ utilitatem
 & gloriam natus, dignusque, ut cum dia-
 demate nasceretur, miraque ad regen-
 dum dexteritate, prudentia, laboris
 constantia, ingenii sagacitate, solertia,
 atque inexpugnabili fortitudine prædi-
 tus esset, facile Regis animo, atque
 uni-

uniuerso Regno dominari cœperat: Dein Sæc. XVII.
 Sacris, profanisque dignitatibus ad in- A. C. 1642.
 uerſam cumulat, ſupremum belli,
 pacisque arbitrum egit, atque hono-
 rem & ignominiam, vitam & mortem,
 quin & Europam pro libitu ſuo diſtri-
 buit: inde uero æmulantium Procerum
 inuidia, obrectatorum licentia, & fre-
 quens tumultuum domesticorum origo:
 quippe Richelio prævalente, Magnates
 nonnulli perpetuo carcere, alii exilio,
 plures morte damnati, quamplurimi ab
 Aula remoti, pene innumeri proſcripti
 fuerunt: ipſam quoque Reginam Ma-
 trem, quæ tamen ipſum ad ſupremas
 dignitates exexerat, pro beneficio exi-
 lium retuliſſe conſtat: Ceterum Riche-
 lius parem cum omnibus uiris illuſtri-
 bus ſortem habuit, qui dum adhuc in
 uivis agunt, carpuntur, mortui autem
 immenſis celebrantur elogiis: ipſe ta-
 men Francicæ Hiſtoriæ Scriptor, quam-
 uis in Richelii laudes copioſius excur-
 rat, in eo nihilominus carpit potentix
 ſummæ cupiditatem, pares, ſuperio-
 resque, ac præcipue æmulos depri-
 mendi ſtadium, immodicum honoris
 & gloriæ deſiderium, ſaſtigii & hono-
 rifici cultus ad adorationem uſque ex-
 tenſam ambitionem: necnon callidita-
 tem, ac ſimulandi, diſſimulandique
 peritiam. Eſſi autem Richelius ejus-
 modi

Rr 3

modi

Sæc. XVII. modi nævis, ut homo, non caruisset,
A. C. 1642. nemo tamen eidem ingenii laudem,
 Religionis propagandæ, ac Ecclesiam
 ab hæresum labe expurgandi studium
 invidere poterit. Tandem postremis
 vitæ suæ diebus Richelius Regis gra-
 tia excidit, ut eo ardentius Dei gra-
 tiæ sibi conciliaret: inviserat quidem
 morti proximum Rex & Regina, adeo,
 ut fere inter Regias manus expirasse
 crederetur, deprehensum tamen, quod
 Rex speciem doloris vultu præletulerit,
 lacrimas vero non sponte cadentes læto
 pectore exceperit: Obiit demum Ri-
 chelius Parisiis ex fœtore vermium, qui
 ex brachio scaturiebant: Numerabat
 quinquaginta septem ætatis suæ annos,
 in morte sua dicere auditus, se tres
 claves Ludovico Regi relinquere, sci-
 licet, Brisaccum ad Germaniam, Pi-
 gnarollum ad Italiam, & Perpignanum
 ad aperiendam Hispaniam: Videtur
 Richelius adhuc post mortem suam in
 Regno dominari; quippe non modo
 paucis ante obitum suum diebus præci-
 pua Regni munia inter suos clientes
 partitus est, sed etiam supremum Mi-
 nisterium Mazarino Cardinali testa-
 menti tabulis reliquit, atque Rex, qui
 vivo Cardinali adversari non auferat,
 mortui voluntatem religiose executus
 est. Scripta sunt Richelio ingentia e-
 logia,

logia, sed non omnia ab amico calamo, inter quæ est illud : Sæc. XVII.
A. C. 1642.

*Hic jacet Armandus, si non armasset,
Amandus, cui tamen quidam
Richelii fautor hoc disticho re-
spondit:*

*Armando in cunis amor aurea detulit
arma, sic erat Armandus, qui
bene amandus erat.*

Referunt Scriptores nonnulli, quod Richelius in suo Avenionensi exilio librum *de institutione Christiana, & controversiis fidei* ediderit, præter aliud opusculum (si tamen suum) de perfectione Christiana. Sepultus requiescit in Sacello Sorbonico, cujus Basilicam, magnificumque Collegium ipse construxerat: Reliquit etiam duplex testamentum, quorum primum appellabat *Christianum*, alterum vero *Politicum*, utrumque vero, cum luculentum sit vasti sui ingenii, indolisque specimen, merito sibi in Historia nostra locum vendicat.

§. XLI.

Armandi Richelii Cardinalis Testamentum Christianum.

Testamenti Christiani sequens erat tenor: „Catholicus fide, Cardinalis dignitate, Minister Regius munere,
Rr 4 „red-

Sæc. XVII. „reddo rationes publicas vitæ meæ, &
 A. C. 1642. „conscientiam explico coram sole, ut
 „legi ab omnibus possit, quod sol
 „ostendit.„

„De fide mea id testor, idcirco Pur-
 „puratam me credidi, ut fidem tuerer:
 „obsignassem eam libenter meo langui-
 „ne, & maluissem hac secunda purpu-
 „ra rubere, quam prima: hæc volui
 „esse cardinem vitæ meæ, hanc secu-
 „tus sum ducem etiam cæcam; nec
 „tamen in me cæca penitus fuit, eo
 „fere ingenio attigi, quo fides præivit:
 „scivi pene, quod credidi, nec tamen
 „credidi, quia scivi: plus feci cæcam
 „fidem, quam occultam sapientiam,
 „& plus ignorantem mihi credidi quam
 „videnti.„

„Quid fecerim pro fide divina, te-
 „stari potest fides humana: abstuli hæ-
 „resi trecentas arces, ne esset rebellis:
 „averti aliena auxilia, ne esset infide-
 „lis; eripui arma, ne esset hostis; e-
 „mendavi mores, ut fidem corrigerem:
 „conciliavi animos Regi, ut Deo sub-
 „jicerem: erudivi conscientias, tenta-
 „vi libertatem: eo redegi hæresin, ut
 „quæ vim timebat, cogi jam velit.„

„Nec minus extra galliam Catho-
 „licus fui: prius egi cum foederatis de
 „Religione Germaniæ, quam de liber-
 „tate: utriusque me Patronum profes-
 „sus

„sus sum, excepi Ecclesias a lege ar- Sæc. XVII.
 „morum: docui Politicum esse bellum, A. C. 1642.
 „non Ecclesiasticum: si quid detri-
 „menti passa est Religio, ille non in-
 „tulit, qui prohibuit. „

„Cardinalis amavi Ecclesiam Roma-
 „nam ut Matrem, & Gallicanam ut fi-
 „liam: illius alumnus, hujus Patronus;
 „illius jura, hujus Privilegia tueri vo-
 „lui: sciebam, quid Gallia deberet Ro-
 „mæ, quid Roma Galliæ: mutuus est
 „amor, & alterna beneficia: servivi
 „utrique, dum servivi uni, & quicquid
 „addidi Galliæ, addidi Romæ. „

„Nec nocet Aula Ecclesiæ, nec Ec-
 „clesia Aulæ: neutra decolorat alte-
 „ram, quia utraque est purpurata: ad-
 „ministravi Galliam ut Ecclesiam, ser-
 „vivi Ecclesiæ, dum servivi Galliæ: ii
 „duo cardines vitæ meæ Ecclesia &
 „Gallia, Deus & Ludovicus: imo duo
 „Poli, quorum unum in altero semper
 „vidi; nolisset me Gallia Ministrum,
 „si peccassem in Ecclesiam, nolisset
 „me Ecclesia Cardinalem, si peccassem
 „in Galliam. „

„De me Ministro id tertium testor,
 „volui Ministerium meum Christianum
 „esse, & politicum: conciliavi utrum-
 „que, quia me Ministrum putavi Regis
 „& Dei: sciebam Regem Galliæ esse
 „Ludovicum, & Regem Ludovici esse
 „Deum:

Rr 5

Sæc. XVII. „Deum: imitari volui providentiam
A. C. 1642. „Dei, quia Regnum Galliæ est regnum

„Providentiæ: exploravi, quo præiret
„Deus: hunc sequi volui, neque ante-
„cessi nutum Ludovici, sed observavi:
„neque attuli lucem, sed accepi: inde
„illa felicitas mea sub utraque fortuna:
„neutra cæca fuit, quia Deus utrique
„præluxit; neutra temeraria, quia pro-
„speram dedit Deus, & correxit ad-
„versam. „

„Hæc gemina virtus Ministerii mei,
„fides erga Deum, & fidelitas erga Lu-
„dovicum. De utraque id asserere pos-
„sum, nihil prætuli Ludovico, nisi
„Deum: utrique studui, utrumque sci-
„vi, & pene utrique credidi: hæc du-
„plex regula vitæ, Deus revelans, &
„Ludovicus imperans: agnovi utrum-
„que ut Dominum & Magistrum: di-
„dici ab utroque, quod docerem: at-
„que ut essem Minister Orbis, prius
„fui Discipulus Dei & Ludovici. „

„Ut fidelis essem Ludovico, imitari
„volui justitiam Ludovici, de qua id
„testari audeo, pene offendi alias vir-
„tutes, ne offenderem justitiam: ti-
„mèri volui, ut amaretur Ludovicus:
„severus in paucis fui, ut essem omni-
„bus bonus; nullius tamen hostem me
„putavi, nisi esset hostis Ludovici: a-
„mavi justitiam, non vindictam: nihil
„egi

„egi nisi iustum, quia Ludovicus nihil
„imperavit, nisi rectum.

Sæc. XVII,
A. C. 1642.

„De cæteris virtutibus id unum dico:
„amavi omnes, quia omnium Ministrum
„me credidi: didici omnes vel docui,
„& dum Ludovicus virtutes omnes fa-
„cit Regias, feci omnes purpuratas:
„ob eam causam Eminentissimum esse
„non renui, ut virtutes extollerem: id-
„circo Cardinalem me putavi, ut illas
„fulcirem: propterea Aulam non fugi,
„ut eas in Aulam inducerem: inde illa
„Sanctitas utriusque Aulæ, prima Re-
„gia, altera Ecclesiastica, utraque Au-
„la Virtutum fuit. „

„Hæc de Virtutibus. De Honoribus
„id profiteor, admisi Dignitates,
„non ambivi; mereri eas volui prius,
„quam assequi: nec tamen post meri-
„tum honores admissem, nisi ut hono-
„rarem Ludovicum; honorificum est
„soli coronari radiis: pertinebat ad Ma-
„jestatem Oceani, derivari in fontes,
„nec imminui, idcirco Dux, Par, &
„Cardinalis esse non recusavi, ut sci-
„ret Orbis, qualis & quantus est Lu-
„dovicus, cujus radius & rivus fuit
„Richelius. „

„Et nunc eos honorum titulos æque
„depono lubenter, atque gero; tam
„facile morior Cardinalis, quam homo:
„scivi sub purpura mortalem fuisse me,
„quia

Sæc. XVII. „quia scivi me esse hominem: assuevi
 A. C. 1642. „æternitati intra tempus, atque, ut

„mortem fallerem, mori cæpi adhuc
 „vivus: captus sinistro brachio dextrum
 „obtuli morti & vulneri: circumductus
 „gestatorio ferculo assuevi feretro quasi
 „lecto: destitutus usu dextræ, deoscu-
 „lor dextram Dei: vidi me per partes
 „mori, & didici mori totus.,

„Et nunc vivus & moribundus te-
 „stor, sub Ludovico Christianissimo
 „fuisse me Ministrum in omnibus Chri-
 „stianum.,

§. XLII.

*Ejusdem Cardinalis Testamentum
 Politicum.*

Politicum vero testamentum, cujus
 exemplar unum ipsemet Richelius
 Regi, alterum vero Aiguillonæ Ducis-
 sæ Nepti suæ tradiderat, his verbis
 exorsus est Richelius: „Abiturus e vita
 „vera dico eo momento, quo nemo
 „mentitur: vicinus æternitati quasi
 „æternus loquor. Audi Posteritas,
 „verba pene ultra vitam prolata, &
 „vera: lege Testamentum, pene ultra
 „tempus scriptum, ne fallat, pene in-
 „tra æternitatem, ne pereat.,

„Electus in primarium Regis mei
 „Ministrum, id primum intendi, ut
 „Regem

„Regem meum facerem Regem primum: Sæc. XVII.
 „volui Christianissimum esse & poten- A.C. 1642.
 „tissimum: volui, primogenitum esse
 „Ecclesiæ & Europæ: volui, esse ju-
 „stum, ut sua Orbi restitueret, & Or-
 „bem sibi. „

„Hæc prima mea cogitatio Majestas
 „Regis, altera Magnitudo Regni: in-
 „veni Galliam minorem seipsa: decre-
 „verant omnia præter linguam: hæc
 „quoque excedebat Galliam, & erat
 „Gallica: populi olim pars Galliæ ne-
 „gabant se esse nostros lingua nostra.
 „Galli erant & hostes Gallorum: arma-
 „batur Gallia in seipsam, utebatur ho-
 „stis nobis in nos ipsos, & victus & vi-
 „ctor Gallus erat: idem fortis in alie-
 „nam gloriam, & suam perniciem. „

„Hic igitur Ministerii mei scopus,
 „restituere Galliæ limites, quos natura
 „præfixit, reddere Gallis fratres suos,
 „addere Galliam Galliæ & linguæ:
 „confundere Galliam cum Francia, &
 „ubicunque fuit antiqua Gallia, ibi re-
 „staurare novam. Tria se opponebant
 „votis meis. Obstabat Gallia ipsa ho-
 „stis sui: obstabant hostes Galliæ, ne
 „Gallos haberent æquales sibi, vel ma-
 „jores: obstabant finitimi populi, id-
 „circo amici externæ potentiæ, quia
 „non poterant esse hostes. „

„Ut

Sæc. XVII. „Ut perrumperem hos obices, con-
 A. C. 1642. „ciliavi Galliam sibi, ne intra se hostis
 „esset: occupavi hostes domi, ne bel-
 „lum gererent foris: ostendi sociis li-
 „bertatem, & coegi aliquos, etiam in-
 „vitos esse liberos. „

„Duo mala male habebant Galliam,
 „hæresis & libertas: emendavit utrum-
 „que malum Ludovicus armis suis, &
 „consiliis meis. „

„Primum malum adeo excreverat,
 „ut intra unum regnum censerentur
 „plura regna: tolerata a Regibus Re-
 „ligio legitimum Regem vix tolerabat:
 „ex ducentis arcibus securitatis toti-
 „dem effecerat propugnacula rebellio-
 „nis: intra centum urbes centum con-
 „flarat Respublicas: intra Rupellam
 „incluserat rebellionem & seipsam: in-
 „de imperabat mari, inde necitebat fe-
 „dera cum hostibus Galliæ: inde par-
 „tiebatur auctoritatem Regiam, & ne
 „uni Regi pareret, pluribus Dominis
 „serviebat. „

„Aggressus sum hoc monstrum,
 „quod alii ante me Ministri irritare me-
 „tuebant: expugnavit Rupellam Ludo-
 „vicus, & intra urbem unam omnia
 „Elementa vicit: recepit trecentas ar-
 „ces anno uno, & singulis fere diebus
 „triumphavit: intra Galliam superavit
 „alterum regnum, & bis Regem se fe-
 „cit:

„cit: & ne quis de pietate caussæ Sæc. XVII.
 „dubitaret, pugnavit armis Ludovicus, A. C. 1642.
 „& Deus miraculis.,

„Alterum Gallix malum erat Li-
 „bertas: amabatur Regia Dignitas, non
 „Potestas: timebantur subditi, & pec-
 „cabant, ut timeri possent: emebantur
 „obsequia, quæ gratis debebantur, re-
 „dimebantur auro offensiones suppliciiis
 „dignæ: attribuebantur pensiones, ne
 „quis rebellis esset: libertas erat con-
 „scientiarum, & necessitas criminum:
 „leniebatur malum muneribus, & cre-
 „scebat lenitate.

„Ut mederer huic malo, volui a-
 „mari Ludovicum Pium, & timeri ju-
 „stum: volui Imperium esse penes u-
 „num, & penes omnes obsequium:
 „volui deberi amorem Regi, non emi:
 „volui aurum virtutis præmium esse,
 „non sceleris: volui fidelitatem neces-
 „sariam esse, non liberam: volui obe-
 „dientiam oculatam esse ex parte im-
 „perantis, cæcam ex parte subditi.

„Post erectam Majestatem Gallix
 „deprimenda erat Majestas externa,
 „quæ tot annis Galliam depresserat:
 „duæ res fundabant hanc Majestatem
 „externam, Consilii gravitas & regni
 „potestas.,

„Adeo sanctum erat Majestatis ex-
 „ternæ Consilium, ut illud virtutes
 „om-

Sæc. XVII. „omnes componere crederentur: præ-
A. C. 1642. „sedeat Religio consultationibus, ut
 „eas consecraret: assistebat sapientia,
 „ut illas erudiret: comitabatur fide-
 „tas, ut eas tegetet; & tunc tantum
 „revelabantur facienda, cum erant
 „facta. „

„Perturbavi externam sapientiam,
 „dum arcana detexi: revelavi myste-
 „ria, quæ nondum texerant: evulgavi
 „consilia, quæ nondum ceperant: præ-
 „occupavi agenda, ne inciperent: ob-
 „jeci res factas, ne faciendas decerne-
 „rent, supplantavi consilia, dum ma-
 „teriam subtraxi: docui artem sapien-
 „di, quam hostes nesciebant: mirati
 „sunt doceri se a Gallia, quam ipsi sem-
 „per docuerant. „

„Alterum externæ Majestatis fun-
 „damentum erat Potentia: hæc Maje-
 „stas oriri intra fines suos videbat so-
 „lem & occidere: hæc eos Mundos
 „invenerat, quos Alexander cogitabat:
 „hæc tribus Orbis partibus quartam
 „partem, & veteri Mundo addiderat
 „novum: ex eo Orbe novo tantum
 „metallorum exportabat, ut rarius fere
 „aurum esset, ubi nascitur, quam ubi
 „venditur: eo auro emebat provincias,
 „aut obligabat: amabant populi hoc
 „metallum, vel timebant: eo primum
 „amicos, deinde socios mercabatur:
 „nulla

„nulla fere societas erat, cui non com-
 „modaret, quod deinde repeteret.,”

Sæc. XVII.
 A. C. 1642.

„Nullibi tamen studiosius miscebat
 „hoc venenum, quam intra Galliam:
 „eo auro corrumpebatur fides subdito-
 „rum, tentabatur fides Nobilium, sol-
 „licitabatur amicitia hæreticorum: &
 „quorum displicebat fides, eorum e-
 „mebatur fidelitas: venalis erat magna
 „Galliæ pars; hæc si empta esset, ve-
 „nalis fuisset Europa.,”

„Ut mederer huic alteri malo, di-
 „vifi hanc externam potentiam, ne
 „semper cresceret: interrupti commu-
 „cia, ne semper emeret: ingressus sum
 „patriam ipsam, & inveni fortiorem
 „foris esse, quam domi: emi ipse urbes
 „aliquas, mercatus sum provincias:
 „vici, quod non potuit emi: & nunc
 „auctior Gallia bona parte sui, osten-
 „dit, quid acquisiverit, & quid hostis
 „amiserit. Nec Galliam tantum au-
 „ctiorem feci, sed affines adjuvi: de-
 „seriebant Galliam focii, quia eos Gal-
 „lia deferebat: fiebant amici hostium,
 „ne servi essent: emebantur promissis,
 „onerabantur titulis, & omnis hæc
 „amicitia honesta servitus erat.,”

„Ostendi Europæ libertatem, dum
 „ostendi Regem fortem, ut amicos pro-
 „tegeret; justum, ne aliena retineret;
 „amicum, ut gratis beneficus esse vel-
 „let:

Hist. Eccles. Tom. LX.

Ss

let:

Sæc. XVII. „let: ostendi Italiæ, Galliam tueri vel-
 A. C. 1642. „le, quod dedit, non repetere: ostendi
 „Germaniæ, liberam esse posse, si neu-
 „tra esse vellet: ostendi Electoribus,
 „quis eligi posset, & quis eligi nollet:
 „ostendi Protestantibus, placere eorum
 „libertatem, non fidem: obtuli Angliæ
 „amicitiam, si amari vellet, & amare:
 „obtuli Lusitaniæ portum intra Gal-
 „liam, & Galliæ portum intra Lusita-
 „niam. Sic correxi timorem Orbis,
 „dum ostendi, quid timeret: sic docui
 „superari posse, quod victum est: sic
 „obtuli libertatem gratuitam, dum
 „ostendi Ludovicum Patronum Europæ
 „esse velle, non Dominum. „

„Perge, Ludovice, ut cœpisti, ab-
 „solve victorias, quas inchoasti. Osten-
 „di, quo progredi posses, & ubi desi-
 „nere: ostendi aliena nunc regna, &
 „quondam tua: ostendi, quid debeas
 „Europæ, quid illa tibi: quid possis
 „repetere, quid illa reddere: quid sit
 „alienum, & quid tuum. „

„Accipe, Ludovice, hunc Librum,
 „quem tu ipse dictasti. Habes in prio-
 „re parte artem belli, quam ex te de-
 „sumpsi: habes in altera parte Ideam
 „Pacis, quam ex te didici: habes in
 „tertia parte exemplar Regis, quod ex
 „te Rege descripsi: habes ubique ar-
 „tem Ministri Politici, quem tu ipse
 „formasti. „

§. XLIII.

§. XLIII.

*Aloysii Cajetani Cardinalis mors.*Sæc. XVII.
A. C. 1642.*Ciacon. in
vit. Urbani
VIII.
Ughel. Ital.
Sac.*

Præter nominatissimum Cardinalem Richelium insuper hoc anno decessit Aloysius Caietanus patria Romanus, qui Ravennæ humanioribus, Philosophicisque disciplinis egregie imbutus, Romæ jurisprudentiæ vacabat: cum autem ingenii perspicacia, mentis sinceritate, atque in ferendis sententiis mira integritate polleret, his, aliisque virtutibus clarus se apud omnes conspicuum, maximaque æstimatione dignum reddebat: Demum vero a Gregorio XV. Patriarcha Antiochenus, & ab Urbano VIII. Archipræsul Capuanus, tandem Presbyter Cardinalis renuntiabatur: Obiit tandem Romæ anno ætatis suæ quadragesimo septimo die octava Aprilis sepultus in titulo suo Sanctæ Pudentianæ.

§. XLIV.

Cosmus de Torres Cardinalis mortuus.

Hunc paulopost sequebatur Cosmus de Torres itidem Romanus, qui variis scientiis, & præcipue jurisprudentia clarus Romæ diversa obiit munia,

S s 2

Sæc. XVII. A. C. 1642. nia, ac tandem a Gregorio XV. legatus decernebatur ad Poloniæ Regem, ad cuius preces ab eodem Papa Cardinalium Collegio adscriptus, demum ab Urbano VIII. Perusinum Episcopatum obtinuit, postea ad Archiepiscopalem Ecclesiam Montis Regalis in Sicilia translatus est, ubi lenta hydropis obrutus Romamque ad patriam solum reversus, evolutis duntaxat aliquot Mensibus die prima Maij quinquaginta sex annos natus decessit.

§. XLV.

Petri Mariæ Burghesii Cardinalis decessus.

*Victor. in
addit. ad
Ciacon.
Marac. in
Purp. Ma-
rian.*

Pari ferme fato Romæ die decima quinta Junii vivis sublatus est Petrus Maria Burghesius Nobilis Senensis, Paulo V. Pontifici sanguine junctus. Hic Majorum excitatus exemplis adolescens Jurisprudentiæ in Patriæ Gymnasio lauream consecutus, ab Urbano VIII. Purpura Romana decoratus est. Inclaruit moderatione, victusque frugalitate usque ad obitum Scipionis Cardinalis Burghesii, cuius pinquæ Ecclesiæ Beneficia adeptus laudatam instituit vitam, quam brevi mors sequebatur; cum enim a Marco Antonio Burghesio nobile Viridarium ad usum

ufum fuum accepiffet, frigusque opa- Sæc. XVII.
cum ad primas noctis horas captare de- A. C. 1642.
lectaretur, contracto exin morbo non
nifi quadraginta tres annos natus, &
quidem alieno ære gravatus mortali-
tatem exiit, tumulatus in Sacello
Burghefiano ante imaginem B. Virgi-
nis, a D. Luca, ut fertur, depictæ, er-
ga quam fingulari pietate & Religione
femper addictus erat.

§. XLVI.

Joannis Doria Cardinalis fata.

Postremus inter Cardinales hoc anno
denatos erat Joannes ab Auria, *Ciaccon. in*
vulgo *Joannetinus Doria* vocatus, pa- *vita Clem.*
tria Genuenfis. Hic non tam Avorum, *VIII.*
quam propriis meritis ad Philippi II.
Hispaniarum Regis preces Cardinalis
renuntiatus, a Paulo V. Panormitanum
Archiepifcopatum impetravit, quam e-
tiam Ecclefiam fuma laude & uber-
rimo animarum proventu per triginta
quinque annos optimus Præful rexit,
Synodumque diæcefanam bis coegit,
pleraque decrevit, quæ vigilantiffimi
Præfulis prudentiam, atque Christia-
næ Religionis promovendæ ftudium
egregie commendarunt. Tertio etiam
Regias vices, amoto Duce Offunenfis
Pro-Rege, in Sicilia obibat: poftquam
Ss 3 vero

Sæc. XVII. vero ex Africæ oris captivi Christiani
A. C. 1642. Panormum pestiferam luem intulerant,
 accepto nuntio Joannes tum valetudi-
 nis causa absens, spretis Medicorum
 & Parentum dehortationibus in urbem
 reversus est, ac religioso mortis con-
 temtu ægrotanti populo æger ipsemet
 adstitit, urbemque omnem singulis die-
 bus circuiens, pestiferos invisit, ege-
 nos eleemosynis adjuvit, supplicatio-
 nes instituit, nullasque partes omisit,
 quæ ad pium, providum, bonumque
 Pastorem spectarent. Præterea ad ex-
 tinquendas omnes epidemiæ reliquias
 unacum Senatu, Populoque Panormi-
 tano sese voto obstrinxit de tuenda B.
 Virginis immaculata Conceptione.
 Tandem vero annis, meritisque plenus
 Panormi die decima octava Novembris
 pie, ut vixit, obdormivit in Domino.

§. XLVII.

*Novi tumultus in Anglia, vicinisque
 Regnis contra Carolum I. Re-
 gem, ejusque fautores con-
 citati.*

*Salmont
 Hist d' Angl.
 t. 1. p. 223.
 Rapin Thoi-
 ras Hist.
 d' Angl.
 t. 9. p. 185.*

Enimvero Angli ad honestandam fe-
 ditionem suam onera, quibus po-
 pulus Regnumque oppressum esset, ob-
 tendebant, his autem a Rege penitus
 sublatis, cum nihilominus novos indies
 tumul-

tumultus concitarent, inferioris Curiae Sæc. XVII.
 Senatores sat luculenter testati sunt, A. C. 1642.
 quod nihil aliud, quam Regem sua
 auctoritate exuere, intenderint: Ut
 vero suum assequerentur scopum, su-
 premum Regis Senatum penitus abo-
 lere statuerunt, haud ignari, quod
 Episcopi & Catholici, hujus Curiae
 Patres, utpote numero superiores eo-
 rum consiliis semper obstituri essent. Ea
 ex causa Puritani Proceres & Prædi-
 cantes peropportunum fore censebant,
 si sæx populi, & opificum famuli ad
 concitandos tumultus contra Episco-
 pos, Regiosque identidem instigaren-
 tur: nec sua eos spes fefellit: pessimis
 enim suis consiliis semper obsequentem
 experiebantur populum; unde Corne-
 lius Burghesus Præco Puritanus jacti-
 tare solebat, *quod infimi ex plebe essent sui ca-
 nes venatici, quos ad arbitrium suum ir-
 rumpere juberet, & iterum revocaret:* Die
 ergo septima Januarii pene innumeri
 lixæ & calones tam Londini, quam
 Westmonasterii & Withaliæ confluxe-
 rant, inconditis clamoribus, & eju-
 latibus vociferantes, *faceffant Episcopi,
 faceffant Episcopi!* ipsum etiam Eboracensem
 Archiepiscopum, cum ad su-
 premam Curiam properaret, tam arête
 cinxerunt, ut pene a multitudine oppres-
 sus, ægre eorum manus evadere pos-
 set.

Sæc. XVII. fet. Hydeum vero Regiæ cohortis Tri-
A. C. 1642. bunum, eoquod furiosos hosce Episco-
 porum hostes esse jugulandos edixisset, Westmonasterii captum Curiaë inferioris Senatoribus sistunt, quem etiam hi unacum duodecim Episcopis, quos Parlamenti decretis repugnantes proditionis postularunt, custodiae dederunt, ex seditiosis vero nonnullos, quos Lunsfordius Londinensis Turris Præfectus a Rege constitutus in vincula coniecit, liberos dimitti iusserunt: Cum igitur rebelles haud obscure cognoscerent, quod ejusmodi tumultus Curiaë inferiori minime ingrati essent, ipsa impunitatis spe efferatioris effecti, singulis ferme diebus novos concitarunt motus, quos tamen sedare, adeo non intenti erant Puritani Senatores, ut etiam populo vanos timores, & suspiciones contra Regem, Catholicosque Proceres identidem inspirare adniterentur, quibus egregie opitulabatur Joannes Sedgwickus seditiosissimus Præco, qui suis declamationibus, mendaciis & convitiis populum contra Carolum Regem concitare, toto studio certabat, quamvis ipsemet tam sceleratam ageret vitam, ut in unica die de adulterio, Simonia & Ecclesiarum rapina reus convinceretur.

Sæc. XVII.
A. C. 1642.

§. XLVIII.

Carolus I. Angliæ Rex Londino ex-
cedere, a rebellibus subditis suis
compulsus.

Tantopere inferioris Curia odium & *Rusworth*
populi audacia crescebat, ut pa- *Vol. 4.*
lam arma intentarent Carolo Regi, *pag. 476.*
ni illico iniquissimis, quas impudens & *Nichols.*
rebellis Puritanorum factio eidem dicta- *Apol. Eccl.*
bat, subscriberet conditionibus. Præ- *Angl. p. 70.*
primis igitur decretum, quo cunctos *Et seq.*
Hiberniæ Catholicos igne, ferroque de-
leri statutum erat, Regia sua auctoritate
firmare, illosque proditionis reos de-
clarare jubetur: postea Puritanorum
Prædicantes ad arma nefaria pro ro-
stris suis populum contra Regem con-
citare non erubere, dumque pacem
Evangelicam Evangelici, ut se perpe-
ram appellitant, Præcones prædicare
debuissent, ad Christianorum sanguinem
effundendum atrociter subditos excita-
runt, quippe in concionibus publicis ad
Parlamentum habitis Regem pientissi-
mum sub *Saulis, Achani, Jeroboami &c.*
nominibus insectabantur, adesse optabant
vindices, si qui sint Phinees, si qui Ehudi,
quibus verbis sacratum Regis caput ipsi
ficariorum ferro haud dissimulanter de-
signarunt. Enimvero probe perspectum

Ss 5

habe-

Sæc. XVII habebat Rex, quod præcipue quinque
A. C. 1642. ex inferioris Curiae Senatoribus exte-
 ros hostes ad invadendam Angliam in-
 citarint, sparsoque terrore ac minis po-
 pulum ad tumultus contra Regiam fa-
 miliam accenderint, Regiasque copias
 nuper contra Scotos contractas ad de-
 fectionem sollicitarint, Regem contu-
 meliis oppresserint, eumque Regia au-
 ctoritate spoliare, suisque subditis exo-
 fum reddere, totis viribus connisi essent.
 Hos ergo tanquam læsæ Majestatis reos
 sibi tradi, eorumque cubilia, cistas,
 & scrinia Regio sigillo obsignari iussit:
 Verum inferior Curia non modo Regis
 petito obstitit, sed etiam sigilla mox
 auferri præcepit, illosque, qui ea ap-
 posuere, in vincula coniecit, Regeque
 adhuc in Curia præsentem, Senatorum
 potissimi exclamarunt, Regem violasse
 Curiae privilegia, cumque Rex Guild-
 hallam, quo hi Senatores de Regis pe-
 titione deliberaturi convenerant, ipse
 etiam contenderet, non sine maxima
 animi sui amaritudine sæpius a furente
 populo: *Privilegia! Privilegia!* excla-
 mari inaudierat, quin imo quidam ad
 tantam devenerat petulantiam, ut
 chartam, in qua hæc verba: *Ad Ten-
 toria tua, o Israel!* scripta erant, in
 Regis currum projicere auderet. Non-
 dum tamen hisce injuriis satiata erat
 Puri-

Puritanorum rabies: eapropter urbi Sæc. XVII
 Londinensis Primores incitabant, ut A. C. 1642.
 scriptotenus Regi exprobrarent, quod
 ipse cives summo terrore affecisset, eo-
 quod Hibernorum rebellionem ab An-
 gliæ Papistis, eorumque fautoribus
 sussultam soweret, atque in hujus regni
 opem validas ferre suppetias cunctaretur,
 Protestantes regno eliminare, juncta ex-
 terorum ope moliretur, suum Palatium
 Witehalliæ insolito armorum apparatu
 muniret, Curiamque inferiorem cum
 frequenti Tribunorum numero, læsis
 Parlamenti privilegiis ingressus esset:
 quoniam vero ex quatuor Londinensi-
 bus Collegiis Advocati, necnon juris-
 prudentiæ Candidati oppressum Regem
 defendere polliciti essent, eidem Regi
 crimini datum, quod pronam horum
 voluntatem gratanter acceptasset, &
 quamvis Rex cuncta hæc accusationum
 capita solide confutasset, nihilominus
 Puritani Senatores in Parlamento de-
 clararunt, quod Rex quia accusatio-
 num capita contra hos quinque Curiae
 inferioris Senatores promulgavit, mani-
 feste Parlamenti privilegia violasset, Re-
 gnique pacem seditioso ausu perturbasset,
 proin Rex illos, quos hac in re in con-
 siliium vocasset, manifestaret, ipsusque
 ad Curiam inferiorem accederet, &
 horum castigationi subscriberet: Tan-
 tam

Sæc. XVII. tam Curiaë audaciam plurimum fulcie-
A. C. 1642. bat Londinensis populus, qui ad Par-
 lamenti defensionem a Londinensi ponte
 Westmonasterium usque plusquam cen-
 tum armatas naves ad primi imperii no-
 tum dispositas habebat: Tum primum
 Rex vitam suam extremo discrimini
 expositam cognoverat, quocirca Ham-
 ptoncurtiam, & biduo post Vindeso-
 rium die vigesima secunda Januarii au-
 fugere coactus est: inde vero Curiaë
 Senatoribus misso nuntio significavit,
 quod cunctis læsæ Majestatis reis ve-
 niam offerret, dummodo deinceps Regi
 suo fideles forent: Tanta Regis sub-
 missio absdubio omnem sedasset tumul-
 tum, nisi de Regis excidio jamjam
 fuisset conclusum, quocirca Parlamenti
 Senatores de suorum potentia tumidi,
 spreta Regis gratia, audacter postula-
 bant, ut Rex illos, qui quinque Se-
 natorum accusationem suggessissent, ju-
 stitiæ traderet plectendos, insuper Pro-
 curatorem, eoquod accusationum ca-
 pita inferiori Curiaë consignasset, nec-
 non Byronum Londinensis Turris Præ-
 fectum, quia arma, bellicumque appa-
 ratum Witehaliæ pro Regis defensio-
 ne submiserat, in carceres conjicie-
 bant. Demum minis a Rege extorque-
 bant, ut ipsis totius militiæ imperium,
 & Turris Londinensis, aliarumque ar-
 cium

cium custodiam relinqueret. Pariter Sæc. XVII.
 sexiæ & Hollandi Comitibus, quos A. C. 1642.
 ad Aulam pro obeundis suis officiis vo-
 caverat, Vindeforium venire inhi-
 buerunt, ac demum nil intentatum inau-
 sumque reliquere, ut auctoritatem re-
 giam imminuerent, atque in omnibus
 Regis voluntati oblectantes eundem
 injuriarum mole opprimerent. Nec
 ipsi etiam Reginæ pepercerunt, sed il-
 lam velut proditionis ream ob inter-
 ceptas literas insimulabant: Eapropter
 ipsa unacum primogenita Filia sua
 Maria Guilielmo Arausionensi Principi
 desponsata ad Hollandos transfugit,
 ipse etiam Rex, necnon Walliæ Prin-
 ceptus, ejus Filius, & Eboracensis Dux
 Windeforio Granwichum ac inde Theo-
 baldam omni festinatione contendere
 coacti sunt.

§. XLIX.

*Angli Carolo Regi suo bellum palam
denuntiantes.*

Quamprimum Rex Theobaldam per-
 venerat, confestim Puritani quos Nalson t. 2.
 dam nomine Parlamenti ad eum depu- pag. 805.
 tarunt, qui Regi exponerent, quod ob Salmon l. c.
 justas causas, nec ex vano metu, in- p. 225.
 superhabito ejusdem interdicto milites
 conscribere statuissent, & quidem pri-
 mo,

Sæc. XVII. mo, quia Rossetus Pontificis Nuntius, A. C. 1642. necnon Episcopus ille, qui Romæ negotia Reginæ procurare iussus esset, jam ab aliquot annis religionem in Regno sparsis etiam hanc in rem libellis immutare machinati sint, & pro felici successu Nuntius Papistis jejunia precesque indixerit. II. Eo ex fine a Papistis, & Papismi fautoribus Scotiæ bellum ultroneis subsidiis nutriatur. III. In Hibernia rebellio a Papistis ad Angliæ regnum fuerit propagata ad defensionem Regiæ auctoritatis. IV. Hiberni Catholici se cuncta ex Regis auctoritate egisse jactitent, suumque exercitum *copias Reginæ* appellare præsumant. V. Quinque Senatores, approbante Rege, falso fuerint accusati. VI. Papæ Nuntius pro Regis auctoritate contra Parlamentum tuenda a Franciæ & Hispaniæ regibus militum subsidia petierit, quod Rex permittere non potuisset, nisi Papistarum Principum ope suam dignitatem defendere, ac religionem immutare intenderet. Postquam igitur Deputati die nona Martii temere excogitatas hæc rationes incredibili audacia Regi suo exposuerant, pari temeritate petebant, ut Rex cunctos pessimosque hosce Consiliarios horum motuum auctores, tanquam patriæ hostes a se amoveret, &

una-

unacum Filio suo Walliæ Principe haud Sæc. XVII.
procul a Londinensi urbe deinceps ha- A. C. 1642.
bitaret, necnon inferioris Curia de-
cretum, quo ipsis in universo Regno
exercitum conscribere integrum esset,
ultronee ratum haberet: etsi vero, adde-
bant deputati, Rex diutius suum con-
sensum denegaret, nihilominus utra-
que Curia formidandum exercitum
contrahere statuisset, & Anglicæ Na-
tionis Primores ad obtinenda hæc po-
stulata extremam vim esse adhibendam,
unanimes suffragio decrevissent. Futi-
les hæc Deputatorum querelas Rex
levi brachio dissolvit, eisque exposuit,
se ægerrimo ferre animo, quod ipsi tot
falsis suspicionibus, temerariis judiciis,
ac sinistris interpretationibus & calum-
niis sinceras ejus actiones ad populi sui
felicitatem directas depravare præsu-
merent. Percepto hoc Regis responso,
utriusque Curia Senatores die duode-
cima Martii præceperunt, ut nulla mora
cunctæ Provinciæ ad sustinendum bel-
lum diuturnum instruerentur, & Nor-
thumberlandiæ Comes validam clas-
sem appararet. Tum vero Rex se omni
ope & consilio destitutum cernebat;
intempestivo enim suæ indulgentiæ
excessu classes suas, thesauros, arma-
mentaria, munitiores arces, copiasque
suis subditis cesserat, nil ergo reliquum
habe-

Sæc. XVII. habebat, nisi ut ad Boreales regiones
 A. C. 1642 suas aufugeret: quo comperto Sena-
 tores majore adhuc arrogantia Regi
 denuntiarunt, ut Londini, aut si hæc
 Urbs sibi suspecta videretur, Eboraci mo-
 raretur: condescendit denuo Rex, &
 ad urbem sibi a rebellibus suis subditis
 designatam contendit: utque omnem
 mutandæ religionis, ac Hibernæ se-
 ditionis suspicionem a se amoliretur,
 severissimas leges antea in Catholicos
 decretas effectui dari jussit, ac semet-
 ipsum cum valido exercitu in rebelles
 Hibernos moturum pollicitus est: Ve-
 rum Senatores, qui paulo ante ob di-
 latam Hiberniæ expeditionem Regem
 in collusionis suspicionem trahere nite-
 bantur, nunc pronam Regis volunta-
 tem respuerunt; verebantur enim, ne
 Rex hisce copiis instructus, nequaquam
 Hibernos sibi fideles, sed Anglos re-
 belles in ordinem redigere quæreret,
 hoc timore stimulati Regem omni ar-
 morum subsidio spoliare, unice intenti
 erant, ac ideo, quamprimum comper-
 erant, quod Rex Eboraco Hullam,
 quæ propria Regis arx ab ipsomet an-
 nona, omnique belli apparatu abunde
 instructa erat, contenderet, mox Hotha-
 mus arcis Gubernator ex Senatorum
 mandato Regem, ducto in altum ponte,
 dispositisque ad valla præfidiariis aditu
 pro-

prohibuit, eumque capto Eboracensi Sæc. XVII.
 Duce, quem Rex præmiserat, Eborac- A. C. 1642.
 cum reverti compulit: Enimvero Rex
 tanta injuria commotus, Hothamum
 tanquam læsæ Majestatis reum plecti
 jussit: Senatores vero ipsum ob gene-
 rosam animi constantiam amplis hono-
 rarunt elogiis, causati, quod Rex Se-
 natus immunitates violasset: nec his
 contenti, Eboracum exploratores de-
 cernebant, qui cuncta Regis gesta ex-
 acte observarent, necnon ad Boreales
 quoque Provincias Regi adhuc propen-
 sas seditionem propagarent, copiasque
 ad bellum Regi inferendum conscribe-
 rent, cunctosque, qui sese Regi infen-
 sos declararent, de Parlamenti pro-
 tectione securos esse juberent. Post-
 quam vero compertum habebant, quod
 Rex pro sua securitate duas legiones
 conscripsisset, illico cunctos, qui con-
 tra Parlamentum novos delectus insti-
 tuerent, tanquam patriæ proditores
 declarabant, necnon Eboracum satel-
 lites emittebant, qui quosdam Nobiles
 Regi adhuc addictos in vincula conji-
 cerent: Tam enormis petulantia im-
 punitas Parlamenti Senatores ad tan-
 tam impulerat arrogantiam, ut die se-
 ptima Junii declararent, quod supre-
 ma auctoritas omni tempore penes ut-
 ramque Curiam fuerit, Carolus autem
Hist. Eccles. Tom. LX. Tt ideo

Sæc. XVII. ideo duntaxat Rex fuerit, quia nul-
A. C. 1642. lum tunc Parlamentum exstitit: Tam
 manifestus Regiæ auctoritatis contem-
 ptus non omnibus probabatur, quo-
 circa Littletonus sigilli Custos relicti re-
 bellium studiis ad Regis sui vexilla re-
 diit, necnon triginta sex Proceres mu-
 tuo pacto sese obstrinxere, quod pro-
 tuendo Regis honore, & servandis Re-
 gni prærogativis extrema quævis per-
 peti vellent: Quoniam vero Rex die
 trigesima Junii promulgato edicto de-
 cretum, quo Regis subditi ad militaria
 Curia signa a Puritanis cogebantur, in
 opus deduci inhibuerat, hinc utrius-
 que Curia Senatores mox contrario e-
 dicto pro Parlamenti defensione contra
 Regem milites undique conscribi præ-
 ceperunt, iisque cum summo imperio
 Essexiæ Comitem præfecere, assignatis
 in militum stipendia centies mille libris
 sterlingicis. Demum intercepta Dubri
 arce, captisque aliis urbibus cunctos
 Nobiles, qui Regi adhæserent, captos
 abstraxerunt, eorumque bonis militum
 deprædationi relicti, illos, qui resi-
 stere auderent, trucidari iusserunt. Die
 decima nona Septembris Essexiæ Co-
 mes cum quindecim armatorum milli-
 bus Northantoniam, ubi Parlamenti
 Senatores erant congregati, movit, ad
 quos Carolus Rex Nottinghamo Lega-
 tos

Sæc. XVII.
A. C. 1642.

tos tertio post die ablegabat, ut illos
 denuo ad pacem induceret: Prævaluit
 tamen apud rebelles Regem suum ar-
 morum potentia opprimendi voluntas:
 Ad eam igitur necessitatem Rex, ut vi-
 tam, auctoritatemque suam dubii præ-
 lli alexæ committeret, compulsus, cum
 copiis suis die vigesima tertia Septem-
 bris Derbicum, ac inde Schresburium,
 urbem sibi adhuc fidam contendit, pri-
 mis expeditionis suæ auspiciis sibi fe-
 cundis; Goringius enim Bellidux Por-
 tus-Ostium primo occupabat impetu,
 quam tamen urbem Parlamenti copiæ,
 utpote numero longe superiores paucis
 post horis recuperarunt. Prospero ma-
 gis successu Rex Lincolniam subegit,
 utque Essexiæ Comitem, qui Conven-
 trium urbem intercipere festinabat,
 præveniret, cum octingentis Equitibus
 eo contendit; verum Urbis Guberna-
 tor adventanti Regi portas occlusit,
 bellique tormentis Regios Equites dis-
 jecit. Hac injuria Rex vehementer
 quidem offensus, omni tamen ope de-
 situtus Nottinghamum inultus reverti
 cogebatur. Adeo insuper enormis erat
 continuata Parlamenti vexatio, ut in-
 noxii Regis sortem miserti quidam Lon-
 dinenses, clam Carolo pecuniarum sup-
 petias submitterent, imo etiam Oxo-
 niensis & Cantabrigiensis Universitates

T t 2

om-

Sæc. XVII.
A. C. 1642

omnem suppellectilem argenteam eidem donarent, quam Rex per Robertum Principem Palatinum & Byronum Belliducem Schresburium usque transferri iussit: postquam vero hi Vigornium venerant, obvias habuere rebellium copias, quas tamen Robertus intrepide aggressus, fudit, fugavitque: nihilominus tamen Cronwellus Cantabrigiæ Universitatis suppellectilem interceptit, eamque in levandas rebellium necessitates convertit. Paulopost Essexiæ Comes Regem *prese* infecutus, cum copiis suis Keintonam contendit; Rex vero postis Edgehillæ castris die secunda Novembris hostem instare conspicatus, aciem disponit, effusisque habenis in rebelles effunditur. Prosperum Regiis erat prælii initium; nam hostiles Equites primo impetu obruti retrocessere, quos tamen cum Robertus Princeps longius ab acie insequitur, regios pedites necessaria ope destituit: itaque Comes laxatos peditum ordines invadit, multaque regionum cæde evertit, eodemque tempore Balsurius Eques circumfusus Regi pedites adoritur, everfosque cædendo in se obvertit. Turbata erat utraque acies, & Rex, ac uterque ejus Filius a rebellibus capti fuissent, nisi Robertus Princeps, qui fugitivos urgebat, cum suo equi-

equitatu reversus, denuo in prælium rediisset: Tum vero ancipiti Marte aliquamdiu pugnatum, donec appetens nox prælium dirimeret, & æquata utrinque clade & decore Rex æque ac Comes sua quisque castra repeterent. Cecidere Regionum circiter mille octingenti, atque inter eos Lindseyus Comes supremus belli Præfectus, cujus filius inter captos numerabatur; nec tamen rebellibus incruenta fuit victoria, quam sibi adscriperant; cæsis enim suorum plusquam mille quingentis, Bletskium, & Carolum Essexium pluresque alios magni nominis Tribunos, præter centum quinquaginta vexilla, amisere: nihilominus rebelles sibi solis victoriæ gloriam vindicantes Essexiæ Comitem Westmonasterii immenso aggratulantium applausu exceperunt, eique in rei optime gestæ præmium quinque librarum millia dono dederunt.

Sæc. XVII.
A. C. 1642.

§. L.

*Frustranea Caroli Regis sollicitudo
pro concilianda pace.*

Cum autem tam Londini quam alibi secretæ multorum indignationes audirentur, & non pauci ad Curiam utriusque criminationem devenirent, eo quod Rex a suis subditis tam indignè
Tt 3

Rusworth
Vol. V.
p. 52. & 26.
Thoiras
Hist. d'Angl.
l. 20. p. 336.
Calmet Hist.
Univ. l. 152.

Sæc. XVII. habitus, velut abjectissimum manci-
 A. C. 1642. pium impune vilipenderetur, ac de-
 pressa ejus auctoritate Puritani supre-
 mum Regni Regimen sibi arrogarent, ideo hanc calumniam a se amoturi pa-
 cis condiciones Regi præscribere de-
 creverunt, adeo tamen duras, ut illas
 a Rege, salva sua auctoritate, nun-
 quam acceptandas prospicerent, ipsi
 vero ex hac ipsa repulsa Regem a pace
 alienum, ac unice Parlamentum op-
 primere intentum convitari possent.
 Erant autem condiciones sequentes.
 I. Omnes Regii Ministri, nisi sint a
 Parlamento approbati, suis amovean-
 tur officiis. II. Cuncta Regni negotia
 in Parlamento decidantur. III. Regia-
 rum prolium Moderatores, ejectionis fa-
 mulis, quibus illæ nunc utuntur, dein-
 cept ab utraque Curia seligantur. IV.
 Regiæ Proles absque Parlamenti con-
 sensu, matrimonio non jungantur. V.
 Leges contra Jesuitas, Sacerdotes &
 Catholicos pronuntiatae absque omni
 venia exacte executioni dentur. VI.
 Proceres Catholici a Parlamento ex-
 cludantur, eorumque Filii in Prote-
 stantium Religione educantur. VII.
 Abolitis innovationibus Regimen Ec-
 clesiasticum ad meliorem normam re-
 ducatur, & Rex Prædicantibus de con-
 gruis redditibus prospiciat. VIII. Rex
 revo-

revocet sua decreta contra Parlamenti Sæc. XVII.
 edictum de conscribendis militibus. A. C. 1642.

IX. Cunctos & præsertim quinque Senatores officiis suis amotos Rex pristinae dignitati restituat, illosque innocentes declaret. X. Omnes criminum rei a Parlamento in jus vocentur, & puniantur. XI. Præteritorum criminum oblivio a Rege oblata admittatur, sed cum exceptionibus ad Parlamenti arbitrium addendis. XII. Arces ab illis gubernentur, quos Rex nominaverit, & Parlamentum ratum habuerit. XIII. Rex milites & satellites præter morem conductos dimittat. XIV. Rex arctum fœdus cum Batavis, ceterisque Protestantibus ineat pro defensione Religionis contra Papam, eique adhærentes, & propterea subditos suos in Parlamento excitet, ut pro Palatina Vidua, ejusque prolibus in Electoratum & ditiones suas remittendis validam opem ferant. Arrogantes hæc propositiones nimis luculenter testabantur, quod Parlamentum Regi duntaxat nudum Regis nomen, sibi vero plenam auctoritatem arrogare intenderet: nihilominus Rex fufius ad hæc propositiones respondit, eisdem exprobrans, quod ad opprimendam ejus auctoritatem præprimis nova legum interpretatione arbitrariam potestatem invexerint, postea novam

Sæc. XVII. & a Rege independentem milites con-
A. C. 1642. ducendi auctoritatem sibi arrogarint, Hullensem urbem Regi eripuerint, & Hothami perfidiam tutati sint, atque in vulgus enormes calumnias contra Regem sparserint. subditos minis & pœnis a Rege abalienarint, Regiis domesticis Eboracum ad Regem venire, vel pecunias recipere inhibuerint, necnon exiguam pecuniarum summam, quam Rex pro emendo pane mutuo acceperat, interceperint, ipsumque Regem cum suis ibidem obsessum tenuerint. Præ ceteris vero Rex ægerime tulit, quod Parlamentum Regios Ministros amoveri postulasset, haudignarus, quod non tam hosce Viros a Rege electos peteret, quam quod Regium jus eos feligendi impugnare intenderit. Postea Rex amare querebatur, quod hi Senatores non modo nullam curam de Regia auctoritate, juribus, & ejus securitate tanquam *Principis* haberent, sed ipsum etiam jure, quod ex Dei & naturæ jure ipsi tanquam *privato homini* competeret, exspoliare conati sint, dum ei proles suas in matrimonio collocandi, & educandi jus, libertatemque adimere præsumerent. *Æquissimæ hæc Regis querelæ* adeo non rebellium subditorum animos movebant, ut etiam Regi ad pacem rursus invitanti objicere non erubescerent,

cerent, quod ipſus conciliandæ paci Sæc. XVII.
 obſiſteret, cum adhucdum ejus milites A. C. 1642.
 & innumeras exercerent violentias, &
 ipſemet jaſtatæ hujus pacis beneficio
 belli Authores protegendi juſ ſibi aſſe-
 rere niteretur, ac tempore ſat impor-
 tuno, quo nempe Curiz Senatores tan-
 quam perduelles declarafſet, pacem
 offerret, Catholicos & præcipue Hiber-
 nos in ſuo exercitu aleret, necnon bel-
 licos apparatus, veſtesque militares
 Parlamento auferri juſſiſſet, ut bellum
 Parlamento inferre poſſet. Haſ vero
 calumnias Rex æquiori jure in Senato-
 res rejecit, eiſdem objiciens, quod
 ipſe quidem jam die vigefima tertia
 Junii ſeveriſſimis pœnis exactam diſci-
 plinam militibus ſuis injunxiſſet,
 Parlamentum vero pariter ſub ſignis
 ſuis Hibernos haberet, & ad bellum
 Regi ſuo inferendum centies mille li-
 bras ſterlingicas ad coercendos Hiber-
 nos deſtinatas impendiſſet, & ex Cu-
 ria tam ſuprema, quam inferiori, Se-
 natores Regi addictos plusquam du-
 centos quinquaginta partim vi, partim
 promiſſis, partim minis & pœnis ejetiſſet.
 Cum vero ad haſce Regis querelas Se-
 natores reſpondere haud poſſent, no-
 vis criminationibus cauſſam ipſius de-
 teriorem reddere certabant, hancque
 in rem die vigefima ſecunda Octobris
 T t 5 ſcri-

Sæc. XVII. scriptum in vulgus spargebant, quo
 A. C. 1642. Regi objectabant. I. Quod repudiato
Effexiæ Comitis libello supplici, omnem pacis spem aperta sua necessitudine cum Papistis irritam fecerit. II. Plures Papistæ exterius Anglicanam Religionem simularint, ut in Regis exercitu militaria obire possent munia. III. Ipsemet Rex Protestantium Religionem tueri simularit, ac propterea quosdam Papistas a suis signis dimiserit, interim vero ex Lancastriensi carcere plures Sacerdotes & Jesuitas extrahi iusserit. IV. In Wallia Meridionali Herbertum Protestantibus infensissimum in supremum Regii exercitus Imperatorem nominarit, in Septentrione vero Catholicum Neocastri Comitis exercitum recenti milite Hamburgi & in Dania conscripto auxerit, necnon ad Aulam suam Hibernos admiserit. V. Econtrario plures Anglos tanquam perduelles declararit. VI. Jesuitæ alique pecunias pro Rege in exteris regionibus corraderent. His ita objectis fallacia rebellibus familiari, Senatores profitebantur, quod nullo averfionis affectu, nec sinistra erga Regem voluntate, nec justis ejusdem prærogativis, honori, vel illius auctoritati quicquam derogandi animo arma sumplerint. Ad hæc vero Rex eis respondit, quod a-

ver-

versam ipsorum voluntatem sat luculen-^{Sæc. XVII.}
 ter testati essent, dum eorum copiae ^{A.C. 1642.}
 Regem suum debellare non erubuerint:
 falsum autem esset, quod Papismo fa-
 veret, aut Jesuitas &c. liberos dimisisset,
 cum in Lancastriensi carcere Catholicorum
 nullus fuisset detentus, nec ipse unquam
 de delectu in Dania vel Hamburgi habendo
 cogitarit: quod autem Catholicos in suo
 exercitu retineret, & Lancastriæ incolis
 in sui defensionem arma sumere permisisset,
 se ad id extrema, ad quam a suis perfidis
 subditis fuisset redactus, necessitate
 compulsus fuisse, ac juri naturæ consentaneum
 esse reposuit, ut a Protestantibus derelictus,
 oppressus, & ad incitas redactus oblatam
 a Catholicis sibi semper fidis opem acceptaret.
 Interim vero accepto nuperæ cladis nuntio
 Londinenses cives ingenti concutiebantur
 metu, ac non pauci ex Equitatus Anglici
 Tribunis, sinistri prælii periculo territi,
 fuga elapsi sunt: non deerant igitur, qui
 Regi persuaderent, ut cum copiis suis
 Londinum moveret, ipse autem Barburien-
 si arce & Brugh-toniano Palatio expugnatis
 prævie Londinum die sexta Novembris
 diploma transmisit, quo cunctis rebellibus,
 si a Parlamenti signis dilapsuri essent,
 plenam delicti veniam pollicebatur: altera
 autem

Sæc. XVII. autem die Rex Oxonium delatus, Parliamenti Legatos, qui novam pacificationem obtulerant, excepit, eorumque propositionibus, quas sincere fore credidit, annuere, armorumque cessationi subscribere haud dubitavit: Verum se denuo delusum brevi experiebatur, Parliamentum enim Londinenses cives armis instructos Comitis Essexiæ copiis adjunxit, ac propositæ pacis immemor, suos Legatos revocavit, nec non Downingus & Marschallus Puritani Prædicantes plusquam Pontificia auctoritate quingentos illos milites nuper a Rege captos illo juramento solverunt, quo se arma contra Regem nunquam sumpturos antea promiserant. Præterea utriusque Curix Senatores Essexiæ Comiti negotium dabant, ut nulla mora Lodinum cum copiis suis contenderet, Regemque aditu prohiberet: postea Scotos rebelles rogarunt, ut cum toto suo exercitu sese in Angliam effunderent, suasque copias Parlamento contra Regem aggregarent. Quoniam vero rebellis exercitus plusquam viginti quatuor armatorum millia recenseret, Regiisque copiis numero & animositate prævaleret, Rex Radingam profugere compulsus est, copiis suis Oxonium ad hiberna dimissis. Postmodum Northumbriæ, Cumbriæ & West-

Westmoræ Provincie ad regias partes Sæc. XVII. A.C. 1642.
 accessere, vicissim quoque Parlamen-
 tum Essexiæ, Cantabrigæ, Heliæ, ~~et~~
 Hartfordiæ, Nortfolciæ, & Suffolciæ
 Provincias, necnon Nordonicensem ur-
 bem ad armorum societatem sibi con-
 junxerat, ceteræ vero Provincie, ci-
 vitatesque neutri parti adhærere sta-
 tuebant, fuerunt tamen a Parlamen-
 to prohibitæ.

§. LI.

*Consilium Constantinopolitanum ad-
 versus Calvinianam fidei confes-
 sionem a Cyrillo Lucare
 editam.*

Eodem hoc anno Parthenius, qui Cy- *Concil. Col-*
 rillo Berroheni e Sede sua dejecto, *lect. tom. 21.*
 Patriarcha Constantinopolitanus crea-
 batur, Mense Majo Constantinopoli al-
 teram habuit Synodum, in qua denuo
 Calviniana fidei Confessio a perfido Cy-
 rillo Lucare olim Patriarcha Constan-
 tinopolitano edita tanquam orthodoxæ
 Græcorum fidei omnino contraria dam-
 nata est. Hujus Synodi censura, &
 decretum, quod *Confessio Orthodoxa* in-
 scribitur, in Moldaviam a Parthenii
 Legatis eodem anno allatum, ibidem-
 que confirmatum, Jassii seu Giasii ty-
 pis mandatum fuit: inde autem ortum
 videtur,

Sæc. XVII. videtur, quod Synodus Hierosolymitana anno hujus sæculi septuagesimo secundo die decima sexta Martii a Dosithæo Patriarcha celebrata asserere videatur, hanc Synodum Giasii fuisse habitam; Synodus enim Giasii celebrata fuit tantum veluti Appendix quædam Synodi Constantinopolitanæ: nam ibidem, postquam Cyrilli errores Constantinopoli fuerant damnati, Synodica Epistola Parthenii Jassium transmissa ab Episcopi quoque Constantinopolitani Vicariis & Ruffiæ Legatis annuente Joanne Basilio Moldaviæ Principe subscripta, & confirmata est: uti epistola ad Moldaviæ Principem, quæ Epistolæ Synodicæ subjici solet, luculenter testatur, & insuper ipsa Hierosolymitana Synodus diserte docet, quod Parthenii epistola in Synodo quadam Constantinopolitana fuerit exarata. Quantum vero ad hujus Synodi decreta, in illis omnia & singula Lucarensis Confessionis capita tanquam Calviniana & hæretica fuere perstricta, excepto solo capite septimo, quantumvis in eo Cyrillus in sensu Calviniano asseruerit, Christum cunctis fidelibus salutem & gloriam peperisse, quod qua ratione intellexerit, ex tertio ipsius articulo de Prædestinatione liquet: nec dissimilandum censemus, quod eadem Synodus processionem

nem a solo Patre contra Cyrillum asse- Sæc. XVII.
ruerit: ast circa quartum Cyrilli articu- A. C. 1642.
lum, in quo omnis mali culpa a Deo
removetur, hæc Synodus reprehendit,
quod hæc doctrina cum tertio capite
de Divina Providentia non consentiat;
in quinto capite Cyrillus Dei Provi-
dentiam adorandam potius, quam in-
vestigandam esse, tradiderat, Synodus
autem observat, quod Cyrillus Divinæ
Providentiæ primario tribuat ea, quæ
a malis Angelis, & hominibus ex ejus
permissione fiunt, idque expresse liquere
dicat ex S. Scripturæ testimoniis, quæ
ad illum articulum Cyrillus allegavit.
Præterea Synodus Cyrillo, fors minus
æque, imputat, eum docuisse, quod
baptizatus nullo modo perire valeat.
Denique observandum, quod neque
hæc Synodus, neque Concilium Giasii
habitum *nominatenus* Cyrillum, sed
duntaxat eum, qui hæc capita vulga-
vit, anathemate perculerit, econtra
autem prior Synodus Constantino-
politana sub Cyrillo Berrohenfi ce-
lebrata eidem nominatim anathema
dixerit, hocque judicium Hierosolymi-
tana Synodus confirmavit, addita licet
hac restrictione, *si ejus Auctor reipsa hæ-
reticus Calvinista fuerit, neque respuerit.*
Ceterum hujus Synodi acta præter Ja-
sianam editionem Parisiis anno Christi
mil-

Sæc. XVII. millesimo sexcentesimo quadragesimo
A. C. 1642. tertio, & biennio post in Belgio a Bar-
 tholomæo Nihusio, & denique ab Al-
 latio in tractatu de consensu Ecclesiæ
 Orientalis & Occidentalis anno hujus
 sæculi quadragesimo octavo, necnon a
 Costartio tomo Conciliorum decimo se-
 ptimo typis vulgata fuere. Porro hæc
 Synodi Constantinopolitanæ Confessio
 ab omnibus Græcis, qui progressu tem-
 poris calamos suos exercuerunt, sum-
 mis elogiis celebratur, cum maximi
 fit momenti, eo quod Ecclesiæ Græcæ fi-
 dem orthodoxam circa Eucharistiæ
 Sacramentum aperte teltetur.

§. LII.

*Joannis Biarotte Ord. FF. Prædi-
 catorum contentio cum Parisina
 Facultate Theologica.*

*Argentre
 Coll. Jud.
 t. 3. p. 48.*

Invaluit apud Sorbonam sententia, qua
 tradebatur, Reges ob nullum omnino
 crimen a potestate Ecclesiastica excom-
 municari, ac dominio spoliari posse,
 quoniam vero P. Joannes Biarotte Ord.
 FF. Prædicatorum Theologus haec
 thesin: propter apostasiam per sententiam
 denunciatus, atque excommunicatus domi-
 nium & jus in subditos amittere potest,
 publici juris fecerit, eandem juxta Re-
 gia decreta delere ab Antonio de Bredo
 Facul-

Facultatis Theologicæ Synodo jussus Sæc. XVII.
A. C. 1642.
est; cum autem illam in thesium suarum authograpo deletam rursus eidem infereret, & imprimi curaret, hinc Syndicus die prima Mensis Julii desuper questus, petiit, ut pro criminis gravitate Facultas severe in hunc Theologum animadverteret. Priusquam vero Facultas quicquam hac in re decerneret, ipsam hanc thesin maturius examinandam, illiusque Authorem desuper esse audiendum censuit. Compararet igitur Biarottus, atque a Joanne Mulloto Decano interrogatus, cur præfatam propositionem a Syndico deletam, in suis thesibus reposuerit? ad hæc respondit Biarottus, eam non sua culpa, sed typograhæ, ejusque, qui corrigendi curam susceperat, errore fuisse impressam, seque de ejusdem veritatis confessione testimonium proprio chirographo munitum Decano & Syndico jam ab aliquot diebus tradidisse, quo satis constaret, se hanc propositionem nolle intelligi de supremo aliquo Principe, aut Rege, sed duntaxat de aliquo Superiore, subdito potestati temporali, v. g. Prætoze, vel Præfecto: quocirca se veniam a Facultate petere, paratumque esse, illius jussis obtemperare: nihilominus regessit Syndicus, hanc propositionem de industria, & per
Hist. Eccles. Tom. LX. U u verso

Sæc. XVII. A. C. 1642. verso animo, non errore typographi typis excusam fuisse, ac Biarottum, ut sibi viam faceret huic suæ excusationi, lineas & propositiones aliquas eodem prorsus modo deletas, nova & crassiore linea, novoque atramento abrasisse, intacta propositione, de qua ageretur. His ita expositis, ac perpenſis Facultas Biarottum non modo a prima Doctoratus laurea exclusit, sed omnino a suo confortio rejecit.

§. LIII.

Diversæ Urbani VIII. Papæ Constitutiones.

Bull. magn. Urb. VIII. Inter varia decreta, quæ hoc anno summus Pontifex circa particulares eventus promulgaverat, universalia magis huc adducemus: Prohibuit igitur die vigesima quinta Martii, indicta etiam anathematis pœna, ne quis e Bibliothecis Conventuum Ordinis FF. Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Hispanicæ libros vel scripta extrahat. Cum autem quidam ex Romanis Pontificibus, imo ipsemet etiam Urbanus Papa Cardinalibus facultatem liberam disponendi de vasis & ornamentis Sacris concessissent, nunc tamen Pontifex inde Sacristiæ & ærario Pontificio detrimentum accedere ratus, die

die nona Julii statuit, ut deinceps om- Sæc. XVII.
 nia vestimenta Sacra, calices, vasa, A. C. 1642.
 ceteraque utensilia, quibus Cardinales
 in suis Sacellis usi fuerant, post eorum
 obitum ad Sacrificiam Pontificiam de-
 ferantur. Inhibuit etiam die decima
 septima Novembris, sub excommuni-
 cationis pœna, ne Fratres laici Ordinis
 Fratrum Minorum strictioris observan-
 tiæ præcedant Clericos Professos. Die
 autem vigesima secunda Decembris de-
 cretum promulgari iussit, vi cuius ad
 Archipræsulum & Episcoporum preces
 festorum multitudinem restrinxit, eo-
 quod tum ea ob quotidiani victus labore
 comparandi necessitatem valde dam-
 nosa essent, & non pauci homines ipsa
 festorum multitudine non ad ædifica-
 tionem, & ad Deum in Ecclesiis lau-
 dandum uterentur, sed ad otia, vanita-
 tes, & vitia frequenter abuti non re-
 formidarent: Cunctos ergo festivos dies
 abrogavit Pontifex præter sequentes:
 Dominicos scilicet dies totius anni,
 Nativitatis D. N. Jesu Christi, Circum-
 cisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum
 duabus sequentibus feriis, Ascensionis,
 Pentecostes cum duabus pariter fe-
 rentibus feriis, Sanctissimæ Trinitatis,
 Solemnitatis Corporis Christi, & In-
 ventionis S. Crucis, necnon festivitatum
 Purificationis, Annunciationis,
 U u 2 Assum-

Sæc. XVII. Assumptionis & Nativitatis Deiparæ
 A. C. 1642. Virginis, Dedicationis S. Michaelis
 Archangeli, Nativitatis S. Joannis Bap-
 tistæ, SS. Petri & Pauli, S. Andree,
 S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS.
 Philippi & Jacobi, S. Bartholomæi,
 S. Matthæi, SS. Simonis & Judæ, &
 S. Mathiæ Christi Domini Apostolorum,
 item S. Stephani Protomartyris, SS.
 Innocentium, S. Laurentii Martyris,
 S. Sylvestri Papæ & confessoris, S. Jo-
 sephi etiam confessoris, & S. Annæ
 Deiparæ respective sponsi, ac genitri-
 cis, Solemnitatis omnium SS. atque
 unius ex principalioribus Patronis in
 quocunque regno, sive Provincia, &
 ulterius pariter principalioribus in qua-
 cunque civitate, oppido vel Pago, ubi
 hos Patronos haberi, & venerari
 contigerit.

Decrevit etiam Pontifex, imagines
 Christi & B. V. necnon Sanctorum non
 esse sculpendas vel pingendas cum alio
 habitu, quam in Ecclesia Catholica ab
 antiquo consueverit, nec etiam cum
 habitu peculiari alicujus Ordinis Regu-
 laris, nec etiam in Ecclesiis, earum-
 que frontispiciis exponantur imagines
 profanæ, vel indecentiam & inhone-
 statem præferentes.

Sæc. XVII.
A. C. 1642.

§. LIV.

*Variae SS. Congregationum decisiones.*Ad varia dubia subinde mota Sacrae *Decif. SS.*
Congregationes hoc anno suas de- *Congr.*

derunt decisiones, & quidem primo, Marcus Antonius Gentilis Abbas & Procurator Generalis Canonorum Regularium Lateranensium exposuit, quod Archidiaconus Metropolitanæ Ecclesiæ Bononiensis in Ecclesia propria præfatorum Canonorum asperforium Cardinali legato occasione supplicationis ad eorum Ecclesias ingredienti porrigere prætenderit: Rogabat igitur Abbas, ut quid statuendum, decidatur. Sacra autem Rituum Congregatio die decima quarta Februarii respondit, asperforium Cardinali non ab Archidiacono, vel aliis de Capitulo Metropolitano, sed a digniore illius Ecclesiæ, ad quam Cardinalis quacunque ex causa accedit, esse porrigendum. Sciscitabatur etiam Promotor Curiaë Archiepiscopalis Tarentinæ, an Fratres Minores reformati ad Rogationum & S. Patroni supplicationes accedere teneantur, & utrum ad id censuris compelli possint? ad hoc dubium eadem Congregatio die tertia Maij respondit, Regulares non

Uu 3

pri-

Sæc. XVII. privilegiatos pœnis arbitrariis ab Episcopo ad id cogi posse. Eiusdem Mensis die decima sexta Maij Congregatio Episcoporum decidit, quod Episcopi vasis argenteis, vel alia Sacrifiæ suppellectili non utantur in Mensa vel ad alios profanos usus, imo nec ad Sacros extra Cathedralem, sed ea ibi pro Ecclesiæ servitio relinquunt. Sacra autem Concilii Congregatio die vigesima Septembris declaravit, quod Archiepiscopus Cathedralis, cui incumbit cura animarum, non possit esse Confessarius Ordinarius Monialium, nec Episcopus Monialibus petentibus bis vel ter in anno Confessarium extraordinarium denegare valeret, imo eum offerre teneretur: confessarii vero ordinarii non modo non possint durare ultra triennium, & maxime per longum tempus, sed singulis trienniis mutandi sint: denique Monialium Confessionalia non possint esse in Sacristiis, vel domibus, quas inhabitant Confessarii, sed extare debeant in Monasteriorum Ecclesiis. Declaratum quoque die tertia Octobris a S. Episcoporum Congregatione, quod cæremoniarum Magister, cui incumbit Episcopo significare, quando ad Ecclesiam pro functione Episcopali accedere debeat, id eidem personaliter significare teneatur.

§. LV.

Sæc. XVII.

A. C. 1642.

§. LV.

Principum ac illustrium obitus.

Inter Reginas fortunæ varietate jactatas facile præcipuum sibi locum vendicat Maria Medicæa, Henrici IV. Galliarum Regis conjux, & Ludovici XIII. Mater, vivum rerum humanarum documentum: Hæc trucidato Marito suo totius Regni administrationem sibi soli vendicabat, non sine maxima Regionum Principum invidia, quorum ac præcipue Luynæi impulsu Aula exulare jussa, Blesis in carcerem detrusa est, inde vero Espernonii Ducis, qui hoc item anno decessit, subsidio erepta, Aulæque restituta, fortuna rursus aspirante non modo pristinam auctoritatem, sed & imperium in Regem, regiosque obtinuit, eodemque felicitatis vestigio diu stetit, nisi Richelium Cardinalem ad supremum gloriæ apicem extulisset: æmulatione enim inde exorta, dum initis unacum Regis Ludovici Fratris & conjuge pactis, eundem Cardinalem postea deprimere moliebatur, eodem se ab eodem, quem ovexerat, redactum vidit, ut rursus Aula & Regno excedere, ac in Belgium, in Hollandiam, ac demum in Angliam ad Filiam suam aufugere cogeretur: cum

*Vassor hist.
de Louis
XIII.
Morgues
recueil. des
Pieces.*

U u 4

au-

Sæc. XVII. autem ab Anglis obtento Religionis periculo, Regno excedere iussa, nec in Belgium, nec in Etruriam, minus vero in Hispanias sese recipere vellet, Coloniam contendit, ubi rebus omnibus ad vitam necessariis destituta, omnium præterquam sui Filii, ac Richelii clientis miserationem concitabat, demum vero inter opera Christianæ pietatis & patientiæ anno ætatis suæ sexagesimo octavo ibidem decessit. Eodem ferme tempore, quo Maximilianus Henricus Maximiliani Bavariæ Electoris ex Fratre Nepos in Ferdinandi Colonienfis Archiepiscopi Coadjutorem fuerat designatus, & a summo Pontifice confirmatus, repentina suffocatione extinctus est Franciscus Hatzfeldius Herbipolensis, & Bambergensis Episcopus, necnon Franciæ Orientalis Dux: Habuit Successorem in Herbipolensi Ecclesia, Joannem Philippum Comitem de Schönborn, in Bambergensi vero Melchiorem Baronem Voit de Salzburg, ambos sapientia rerumque usu Principes celeberrimos.

§. LVI.

Scriptores Ecclesiastici religione Catholicæ hoc anno mortui, eorumque opera.

Hunc

Hunc quoque annum ex Scriptoribus Sæc. XVII. Ecclesiasticis non pauci vitæ suæ exitialem habuere, & primo quidem Antonius Ricciulus Cosentinus Episcopus die decima Maij decessit, posterisque reliquit tractatum de personis, quæ in statu reprobo versantur, & de jure Personarum extra gremium Ecclesiæ existentium præter lucubrationes Ecclesiasticas. II. Nicasius Baxius ex Ord. FF. Eremitarum S. Augustini Antverpiæ obiit, postquam varia poemata, orationes, eloquentiæ medullam, Syntaxin græcam, necnon Synopsin vitæ B. Thomæ Villanovæ, & B. Joannis Sahaguntini elucubraverat. III. Josephus a Ryckel ex eodem Ordine plusquam sexagenarius die vigesima prima Octobris vita functus est, scripsitque vitam S. Beggæ, Ducissæ Brabantinæ, Ancile Sacrum pro animabus in Purgatorio, de Sodalitiis in subsidium earum erectis, necnon Officium Defunctorum glossa illustratum, diurnale Marianum, Historiam S. Gertrudis, & præter plura alia tractatum de cultu SS. Trinitatis, & Nominis Mariani. IV. Nicolaus Nesselius Leodiensis Canonicus edidit Theatrum æternitatis, tractatum de Avaritia, & Thesaurum spiritualem de S. Capite Divæ Virginis Petronillæ. V. Joannes Baptista Brancaleo

Sæc. XVII.
A. C. 1642.

Miræ.
Script. Sæ-
cul. XVII.
Alegamb.
Bibl. Script.
S. J.
Eckard
Script. Ord.
FF. Præd.
Bibl. Car-
mel.

Uu 5

Sæc. XVII caleo Sacerdos scripsit præter Itala carmina, Memoriale animæ fidelis. VI.

A. C. 1642. Felix Ciacrus ex Ord. S. Francisci Perusinus elucubravit Historiam Perusinam, variaque sui Ordinis & Patriæ Historiam illustrantia. VII. Hieronymus de Panormo, Canonicus Panormitanus, conscripsit varia opuscula Ascetica, & meditationes de rebus Sacris. VIII. Joannes Baptista Pilus Canonicus Regularis publici juris fecit librum, cui titulus: *Eremus Sacra, seu S. Eremitarum vitæ unacum modo animam a mundo abstrahendi, & uniendi cum Deo &c.* IX. Jacob de la Peyre edidit librum de vita perpetua Melchisedechi contra Salianum, & tractatum de Jobo contra Petavium, contra quem etiam scripsit disciplinam temporum, Chronologiam Sanctam, & Sanctam Geographiam unacum alio libro, cui titulus: *Antibaban contra Patrem Bolducum*: posteriores tamen hæ lucubrationes pluribus nævis scatent.

Ex Societate obierunt I. Petrus Ræstius Belga, qui tractatus de S. imaginibus & reliquiis, necnon de justificatione, communionem sub utraque specie, & Paradiso terrestri & Adamo bono & malo, Apologias pro jure Canonico & Domo Lauretana, præter Pseudo-Jubilæum Lutheranorum edidit.

II. An-

II. Antonius Beatillus scripsit Histo- Sæc. XVII.
 riam vitæ S. Irenes & S. Nicolai Mi- A. C. 1642.
 rensis, necnon S. Sabini & Civitatis
 Barii. III. Franciscus Loviot Anglus,
 qui posteritati reliquit secreta moralia
 cordis humani, tractatum de passioni-
 bus humanis, Paralellum Divini &
 humani amoris, & insignes Divini a-
 moris affectus. IV. Augustinus Ber-
 nal elucubravit disputationes de incar-
 natione, & Sacramentis. V. Roderi-
 cus Figueyredo Lusitanus scripsit to-
 mos duos variarum precum, & expli-
 cationem totius fidei Christianæ. VI.
 Ludovicus Valdivia edidit catechismum
 in lingua Chilensi & tractatum de casi-
 bus reservatis.

Ex Ordine Fratrum Prædicatorum
 celebrantur. I. Archangelus Carac-
 cia, qui tractatum publici juris fecit de
 quarta funeralium præter vitam S. Bal-
 dolini & Pii V. unacum brevi enarra-
 tione gestorum ejusdem Sancti Pontifi-
 cis. II. Franciscus Capronius, qui e-
 didit commentaria in universam S. Tho-
 mæ summam, necnon tractatus de
 conscientia & Ecclesia præter quæstio-
 nes disputatas, & quasdam orationes
 Sacras. III. Michael Zanardi scripsit
 præter Philosophica, Directorium Theo-
 logorum & Confessariorum circa omnes
 ferme

Sæc. XVII ferme casus, & commentaria in primam partem summæ D. Thomæ.

A. C. 1642.

Præter hos ex Ordine Carmelitano inclaruere Joannes Masqueret, qui edidit epitomen veritatum SS. Eucharistiæ cum responsionibus ad hæreticorum objectiones, necnon librum de Baptismo, & alium, cui titulus: *Fons apertus Domus Davidis*. II. Alphonsus a S. Hilariione Carmelita Excalceatus Biatinis literis excudi fecit tres libros de SS. Trinitate, Incarnatione & peccatis præter plures conciones & *Discursus Morales*.

§. LVII.

Scriptores A catholici hoc anno defuncti.

*Freher
Theatr.
Erud. p. 1.
sect. 3.
Wite Diar.
Biog. Kö-
nig. Bibl.
vet. & nov.*

Ex Scriptoribus A catholicis plures suis lucubrationibus nomen sibi gratum apud posteros suos reliquere: Hos inter præcipuus est. I. Festus Hommius, qui Collegium edidit Anti-Bellarminianum, specimen controversiarum Belgicarum, narrationem Historicam ortus & progressus earum, & disputationes Theologicas de S. Scriptura contra Pontificios. II. Bertholdus Krakewitzius, qui edidit commentaria in Oseam & Jonam, tractatum de conjugio, disquisitionem Theologicam de Cæna

Cæna Domini confessioni Calvinisticæ Sæc. XVII.
 ab Electore Brandenburgico publicæ op- A. C. 1642.
 positam, præter demonstrationem me-
 diorum, per quæ doctrina Calvinistica
 passim hodie propagatur; scripsit quo-
 que plura alia, quibus tamen palmam
 eripit ejusdem confutatio Theologica,
 quo Principibus Lutheranis Calvinia-
 num Ministerium suspectum esse debere,
 & fugiendum ostendit. III. Ludovi-
 cus Lucius posteris reliquit historiam
 Jesuiticam, tractatum de Providentia
 & prædestinatione, notas in Apoca-
 lypsin, dissertationem de causa meri-
 toria justificationis, pluraque alia livido
 calamo exarrata. IV. Ludovicus de
 Dieu edidit commentaria in quatuor
 Evangelia, & vetus Testamentum,
 necnon animadversiones in acta Apo-
 stolorum. V. Sueno Jonæ publici ju-
 ris fecit Elementale Theologicum, Ca-
 techesin minorem Syriace & latine,
 disquisitionem Philologicam de consti-
 tutione Sacri Ordinis, & Institutiones
 Hebraicas. VI. Oligerius Rosenkran-
 zius vulgavit Psalterium Davidicum
 cum explicatione Cænæ Domini, &
 benedictionis Aaronis. VII. Joannes
 Himmelius scripsit compendium Histo-
 riæ a nato Christo usque ad Luthe-
 rum, dispositionem analyticam Biblio-
 rum, Postillam Academicam in Episto-
 las

Sæc. XVII. las & Evangelia, refutationem P. Be-
 A. C. 1642. cani, Anti-Meierum, Collegium Ire-
 nicum, Calvino-Papismum, & plura
 alia memoratu haud digna. IX. Hen-
 ricus Höpfnerus, qui prælo subjecit
 sua Commentaria in Michæam & Ha-
 bacuc, varias disputationes contra Ca-
 tholicorum dogmata, tractatum de
 Cæna, præter varios commentarios.
 X. Nicolaus Vedelius Calvinista, qui
 publici juris fecit arcana Arminianis-
 mi, notas in epistolas D. Ignatii, com-
 mentaria de tempore utriusque Episco-
 patus S. Petri, rationale Theologicum,
 Panaceam Apostasiæ, tractatum de Epi-
 scopatu Constantini Magni, de Cathe-
 dra Petri, de prudentia Veteris Eccle-
 siæ, & de libertate conscientiarum.
 XI. Petrus Schmart Puritanus Præco,
 edidit tractatum de vanitate & super-
 stitione cæremoniarum Papificarum.
 XII. Hermanus Samson, scripsit Enchi-
 ridion articulorum fidei, disputationes
 ethicæ, syntagma historicum Passionis
 Dominicæ, Anti-Jesuitam, & Vindi-
 cias centum triginta & duarum veri-
 tatum Evangelicarum contra Jesuitas,
 a quibus acriter exagitatus, nonnisi
 convitia obsoletasque merces opponere
 valuit.

§. LVIII.

Sæc. XVII.
A.C. 1642.*Fervens Cæsaris erga pacem studium.*

Complanatis tandem difficultatibus circa securitatis literas motis Ferdinandus Imperator maturandæ pacis studio accensus, per castra ac Cæsarea passim præsidia, ut hæ literæ ab omnibus sacrosancte haberentur, promulgari iussit, idem quoque urgente Cæsaris Legato Torstensonius a Sueciæ Regina fieri jubebatur: Postea Imperator Francofordiæ, ubi Imperii Ordines comitia agebant, cunctos hortabatur, ut tandem circa prævios pacis pertractandæ articulos suam explicarent mentem, ac præprimis certam diem, qua Monasterii & Osnabrugæ conveniretur, præfigerent: sub idem tempus Daniæ Rex, qui conciliatoris partes in se susceperat, per Langermannum Oratorem suum de nocivis, quibus datæ securitatis literæ a quibusdam carperentur, cavillationibus acriter questus, pro tradendis hisce literis diem vigesimam octavam Aprilis, pro inchoando autem pacis conventu diem decimam quintam Maij decrevit. Hunc terminum nimis angustum esse querabantur Sueco-Galli, qui, etsi ardens pacis desiderium simularent, seque die unde

Sæger. hist.
Eccl. l. 3.
cap. 1.
Brachel.
Hist. l. 6.
Bougeant
Hist. belli
tritic. part. 1.
l. 4. §. 52.

Sæc. XVII. undecima Junii ad inchoandas pacifica-
 A. G. 1642. tiones Osnabrugæ adfuturos, in vul-
 gus sparsissent, indies tamen alias ex
 aliis protelationum causas necebant:
 Horum nihilominus importunitati ce-
 dens Imperator, terminum ad proxi-
 mum Mensem Julium currentis anni
 supra millesimum sexcentefimi quadra-
 gesimi tertii extendit.

§. LIX.

Prævii pacis pertractandæ articuli.

Adlzreit.
annal. Boic.
l. 28. §. 4.
Barre hist.
d' Allemagn.
tom. 9.

Tandem post quinquennii labores mu-
 tuo partium consensu admissi fuere
 præliminares, ut vocant, pacis arti-
 culi, quos Conradus Lutzovius Cæsa-
 reæ Majestatis Legatus Arausio Comiti
 Franciæ Oratori tradidit, ac demum
 communi omnium applausu promulga-
 vit, in hanc sententiam:

Sacræ Cæsareæ Majestatis & Im-
 perii Aulico-Consiliarius ad Circulum
 inferioris Saxoniae, & ad pacis præli-
 minaria cum potestate Deputatus Le-
 gatus, Conradus a Lutzaw, &c. Uni-
 versis & singulis, quorum interest, con-
 stare volumus; postquam multis retro
 annis agitari cæperunt rationes insti-
 tuendæ de pace universali tractationis,
 atque aliæ difficultates in præliminari-
 bus emerferunt; tandem, Deo aspi-
 rante

rante, & Serenissimi Regis Daniæ, *Sæc. XVII.*
 tanquam Mediatoris interposita aucto- *A. C. 1643.*
 ritate factum esse, ut inter nos,
 pro sua dicta Cæsarea Majestate, &
 Rege Hispaniarum ex una; & Illustris-
 simum & Excellentissimum Legatum
 Dominum Claudium de Mesmes Co-
 mitem d'Avaux pro Rege Christianis-
 simo, ex altera parte; dicta prælimi-
 naria conclusa sint sequentem in mo-
 dum.

Loca universalis tractatus sint Mo-
 nasterium & Osnabrugæ in Westphalia:
 ex quorum utroque statim post commu-
 tatos, ut infra dicitur, salvos condu-
 ctus, educantur militaria partium præ-
 sidia, & durantibus congressibus dictæ
 civitates sacramento erga utramque
 partem solutæ ad neutralitatem obli-
 gentur.

Magistratui interim proprio cum
 milite & civibus sua cujusque urbis
 custodia relinquatur. Ipse vicissim da-
 to reversali obstringatur ad fidelitatem
 & securitatem toti conventui præstan-
 dam, & tractantium res ac personas,
 comitatumque sancte habendum & cu-
 stodiendum: & si quid ab eo pro com-
 muni tractatus bono requisitum fuerit,
 præstet se quidem obsequentem, neu-
 trius tamen partis jussa exequatur, nisi
Hist. Eccles. Tom. LX. Xx ab

Sæc. XVII. ab utroque Legatorum corpore collegiatim in sinuata.

Uterque confessus pro uno habeatur; atque ideo non solum itinera inter Monasterium & Osnabrugam, omnibus, quorum interest, ut ultro citroque libere secureque commeari possent, tuta sint; sed & quicumque interjectus locus particulari tractantium conventui pro mutua communicatione commodus visus fuerit, eadem, qua dictæ urbes securitate fruatur.

Si vero, quod Deus avertat, tractatus universalis, re infecta, dissolvatur, recipiant Monasterium & Osnabrugam statum & præsidia, quæ nunc habent omni ex parte. At sancte religioseque servetur neutralitas ad sex hebdomadas post abruptum tractatum.

Salvi conductus ad Monasteriensem congressum infra enumerati commutentur utrinque omnes intra menses duos, a die hujus conventionis. Et ne diversis disitisque procul locis facienda commutatio implicet negotium, ac novas afferat moras, fiat illa Hamburgi per Regis Daniæ Ministros.

Et quidem ex una parte tam Imperator, quam Rex Hispaniæ tradant sequentes salvos conductus quisque suos.

i. Pro

1. Pro plenipotentariis Regis Christianissimi.

Sæc. XVII.

A. C. 1643.

2. Pro residente Suecico.

3. Pro plenipotentariis Serenissimæ Ducissæ Sabaudicæ.

4. Pro plenipotentariis Ordinum generalium foederati Belgii.

5. Pro deputatis Electoris Treverensis.

6. Pro Principe Carolo Ludovico Comite Palatino Rheni ejusque fratribus aut eorum deputatis.

7. Pro Ducibus Brunsvicensibus & Luneburgensibus aut eorum deputatis.

8. Pro universis imperii ordinibus Gallicæ foederatis & adhærentibus in genere aut eorum deputatis.

Ex altera parte per dictos Daniæ Ministros, dictoque loco & tempore tradantur ad eundem congressum Monasteriensem Christianissimi Regis salvi conductus.

1. Pro Plenipotentariis Imperatoris.

2. Pro Plenipotentariis Regis Hispaniæ.

3. Pro utriusque foederatis & adhærentibus in genere, aut eorum Deputatis.

4. Pro Deputatis Electoris Coloniensis.

5. Pro Deputatis Electoris Bavaricæ.

Sæc. XVII.

A. C. 1643.

Salvi conductus Cæsarei & Hispanici pro Plenipotentariis Ducissæ Sabaudiaë sub ea forma concepti tradantur, quæ in exemplari apud Serenissimum Daniaë Regem deposito expressa est, addito tantum titulo *Tutricis filii sui Sabaudiaë Ducis & ejus statuum Regentis*.

Cæteri vero omnes & singuli tam ex parte Imperatoris & Hispaniaë, quam ex parte Galliaë, ab eadem formula, quæ novissime per Mediatorum Legatos communicata partibus, & ab illis probata fuit, concepti extradantur.

Quo facilius ex parte Hispaniaë salvorum conductuum commutatio procedat, valeant, qui antehac a vivente Serenissimo Cardinali Infante in forma supra dicta expediti fuerunt, si a Rege Catholico confirmantur, & rati habeantur.

Singulis salvis conductibus dicta tractatus universalis loca diesque ex præscripto sequentes articuli inserantur, & præsentis tractatus autographum, data singulis Legatis copia authentica apud Serenissimum Daniaë Regem deponatur. Dies autem auspiciando utrique congressui, Monasteriensis nimirum & Osnabrugensis, dicta constitutaque esto vigesima quinta mensis Martii proxime venturi. Quod felix fau-

faustumque orbi Christiano det esse Deus.

Sæc. XVII.

A. C. 1643.

Præsens tractatus cum altero super iisdem pacis universalis præliminaribus hodierna quoque die concluso inter nos Conradum a Lutzaw pro Serenissimo Imperatore ex una, & Illustrissimum Legatum Dominum Joannem Salvium pro Serenissimæ Reginæ Sueciæ ex altera parte, unus idemque sit tractatus, nec nisi adimpletis utriusque conditionibus alteruter pro impleto habeatur.

In quorum omnium fidem præsentibus manibus nostris signatas sigillis quoque mutuis confirmavimus: earundem ratihabitionem a Principalibus utrimque nostris factam una cum salvis conductibus statuto tempore ac loco insinuandam promittentes. Actum Hamburgi, &c.

§. LX.

Gallo-Vinarienses a Cæsareis multiplici clade prostrati.

Minus sincera quorundam paciscentium fuisse consilia, sat luculenter testabantur bellici apparatus, hostiles invasiones, necnon renovatæ armorum societates; præprimis enim, Torsten-sonus Suecici exercitus Dux pluribus oppidis qua vi qua deditioe captis,

Puffend. vcr. Suec. l. 15. pag. 526.

Xx 3

uni-

Sæc. XVII. universam Moraviam & Bohemiam incendiis ac deprædationibus emensus, ipsi etiam Austriæ omnem pestem inferre parabat, cæsisque Cæsareis, atque expugnatis Cremosio & Steino tantum Cæsari intulit terrorem, ut utrumque Filium suum securitatis studio Græcium mitteret. Dein Suecus incassum tentata Fribergæ obsidione in Silesiam reversus, expilatis incensisque Wratislaviæ suburbiis in Holfatiam cum tota mole sese contra Danos infudit: insuper Vinarienses Sueci ductore Gallo Comite Guebriando per Sylvam Turingicam, occupatis ad Mænum variis urbibus, in Franconiam irrupere, totamque Provinciam foede devastarunt, incassum Episcopo Herbipolensi suorum calamitatem sponte oblati donis redimere adlaborante. Cum autem Maximilianus Baviaræ Elector hanc belli tempestatem suis ditionibus impendere pertimesceret, ductore Francisco Mericio cunctas, quanta licuit celeritate, legiones contraxit, variasque Palatinatus & Sueviæ urbes hosti inimicas validis munivit præsiidiis. Peropportune tunc Lotharingi milites sese Maximiliani copiis sociare festinabant; quo comperto Guebriandus occupato ponte Lauffensi horum conjunctionem præpedire nitebatur, incassum tamen, quippe

Mer-

Mercius, postquam Joannes Werthius Sæc. XVII.
A. C. 1643.
 duas hostium Legiones oppresserat, capta Gæppinga Wirtembergici Ducatus urbe, Sueco - Gallos Kirchemium usque repulit. Substitit ibidem Guebriandus cum toto suo exercitu, quem in colle vicino in aciem disposuit: certatur eminus integro die mutuis tormentorum explosionibus, Gallis autem prælium declinantibus Mercius Auracum reversus, velitaribus pugnis hostium terga laceffivit: Sub idem tempus Joannes Werthius Ramenspaci præter opimam prædam tres Suecorum legiones profligavit, Truckmillerus quoque cæso hoste Tubingam invasit: accurrerant equidem Galli laborantibus præfidiariis, ita tamen a Bavaris excepti, ut vix integra legio salva evaderet. Postea Mercius Hatzfeldicis Franconicisque ac Lotharingis suppetiis auctus, Suecis Hemmendorfii & Rotenburgii bina clade protritis, Guebriandum ad Rhenum retrocedere compulit, & Lauffa, necnon Steenfelsa occupatis milites suos tot expeditionibus fatigatos in hiberna distribuit, Interim Guebriandus novo ex Galliis supplemento firmatus die vigesima quinta Rotweilam obsidere aggrediebatur; verum altera die non sine suorum clade repulsus, in Kintzingensem

Xx 4

val-

Sæc. XVII. vallem sese recepit: sinistro tamen hoc
A. C. 1643. successu nondum territus, iisdem in
 regionibus cis Rhenum, in quibus jam
 bis profligatus erat, tertio aleam ten-
 tare statuit: igitur ponte, quem Otten-
 heimii struxerat, exeunte Mense Octo-
 bri Rhenum trajicit, atque ad Fridbur-
 gum Brisgoiæ castra ponit: quo com-
 perto Sporkius noctis beneficio usus
 Gallo - Suecos omni metu solutos im-
 provisa irruptione obruit, plerisque vel
 cæsis vel captis, aut dissipatis. Præter
 sex vel septem millia gregariorum ve-
 nere in censum captivorum ipsemet
 Rosa supremus Guebriandæ legionis
 Structor, quinque præcipui castrorum
 Præfecti, cum multis aliis Tribunis,
 Centurionibus & Vexilliferis: capta
 insuper cum tormentis aeneis impedi-
 menta omnia, in quibus fuit ingens vis
 auri argentine præter menstruum to-
 tius exercitus stipendium. Accepta
 hac clade Guebriandus Rotwillam rur-
 sus obsidere tentat, ast dirigendis in
 urbem machinis intentus, tormenti
 globo brachium amittit, ac vivens qui-
 dem victor urbem ingreditur, sed pau-
 cis post diebus ibidem decedit.

§. LXI.

Sæc. XVII.
A. C. 1643.*Iterata Vinariensium clades.*

Capta hac urbe Gallo - Vinarienses
 hostium securi legiones suas par-
 tim Tutlingæ, partim Melenii & Mæ-
 ningæ dispersos habebant, bellicque tor-
 menta, omnemque bellicum apparatus
 haud procul Tutlinga reponebant, op-
 posito milite, qui præsidio esset: In-
 consulta hæc securitatis fiducia Mer-
 cium invitabat, ut inopina vi hostem
 opprimeret. Jubetur igitur Joannes
 Werthius, trucidatis excubiis, hosti-
 lia belli tormenta occupare, quibus
 die vigesima quarta Novembris poti-
 tus Hamburgensem quoque arcem omni
 capto Gallorum præsidio in suam rede-
 git potestatem, ipsamque Tutlingam
 urbem tam arcte undique cinxit, ut
 nec Galli, nec Vinarienses obsessis o-
 pem ferre possent. Tentabat quidem
 Rosa Sueci Equitatus Dux cum suis
 Bavaros aggredi, ad primum tamen
 hostis conspectum retrocessit: Institit
 fugientibus ipsemet Mercius, qui eos
 Melenii affecutus, tres peditum cater-
 vas fudit, ac disjecit: Werthius quo-
 que cum suis Equitibus decem Galli-
 cas legiones, plurimis cæsis, captis-
 que in fugam egit: Ita facile Cæsarei

*Le Blanc.
Hist. de
Bav. t. 4.*

Xx 5

Tut-

Sæc. XVII. Tutlinga urbe potiti, reliquas Gallorum, Suecorumque stationes, prout inter Cæsareo - Bavaros Belliduces convenerat, aggressi præter Italicam Mazarini Cardinalis legionem quam plurimos interneccione deleverunt, divisas vero Gallorum legiones ad deditionem compulere: Pauci cum Rosa Sueci Equitatus Præfecto ultra Rhenum fuga elapsi sunt, ceteri omnes, plusquam sex millia, unacum pecuniis, bellicoque apparatu, & vexillis sine ulla ferme sanguinis effusione intra biduum in potestatem Victorum venire. Die autem vigesima sexta Novembris Bavari promotis Tutlinga castris Rottwillam obsedere, ac tertio post die paulo ante a Vinariensibus expugnatam recuperarunt, captis præfidiariis, soloque Friderico Wirtembergico Duce cum præcipuis Tribunis, sarcinisque discedere permissis: Gallici quoque exercitus reliquiæ in Alsatiam profugere.

§. LXII.

Hispani a Gallis profligati,

Ferrev. hist. contin. Hisp. cap. 2. t. 13. Felicius cecidit belli alea Gallis in Catalonia ad castellum Mirabellam, cujus urbis obsidionem Hispani non sine magna suorum clade die prima Martij

tii solvere coacti sunt: Postquam vero Sæc. XVII.
 Franciscus de Melo Hispani exercitus A. C. 1643.
 Imperator in Galliis Richelium Cardi-
 nalem obiisse, & in Hispaniis Olivarium
 Regis gratia excidisse compererat, ani-
 mum ad magnos ausus erigens, in Cam-
 paniam cum valido exercitu irrumpere
 statuit: Igitur die secunda Maij ut sibi adi-
 tum in Gallici Regni præcordia aperiret,
 Rupem Regiam, seu Rocroam validam
 Hannoniæ urbem arcta obsidione pres-
 sit, jamque obsessos ad tantam extre-
 mitatem redegit, ut deditio singulas
 in horas expectaretur: Verum tantæ
 urbis jacturam minime ferendam ratus
 Ludovicus Dux Anguinius Gallici exer-
 citus imperator, cum Hospitalio atque
 Gassione fortissimis juxta ac expertissi-
 mis Ductoribus laboranti urbi contra-
 ctis omnibus copiis in auxilium accur-
 rit. Inclinate jam in Vesperam die
 in conspectum hostilium castrorum ve-
 nit, eaque aggreditur, præfestinam
 tamen pugnandi cupiditatem gravi suo-
 rum clade expiare cogitur. Ipsa vero
 Martis frustratione accensus, postridie
 vixdum albescente aurora in Hispanos
 acriore impetu effunditur, eosque tanta
 delet clade, ut si ea victoribus inno-
 tuisset, actum fuisset de Belgio: Fuso
 enim fugatoque equitatu deletus est
 omnino Hispanorum pedatus, capta
 impe-

Sæc. XVII. impedimenta, & militare instrumen-
 A. C. 1643. tum omne: Auxit quoque cladem Fon-
 tanus Comes, qui oblatam ab hosti-
 bus vitæ gratiam respuens, cum tota
 legione sua gladiis jugulatus est. Co-
 mes quoque Joannes Ritbergicus se-
 ptem vulneribus faucibus libertatem a-
 misit: facta demum major est in fuga
 cædes, sparsis per sylvam rusticis, qui
 fugientes locorum ignaros fustibus, lu-
 dibusque trucidarunt, sive spe prædæ,
 sive ultionis cupiditate. Hac victoria
 potitus Dux Anguinius, Theonisvillam
 urbem circumfedit, eamque non om-
 nino bimestri oppugnatione ad deditio-
 nem ingenti suorum strage compulit,
 sexcentis præfidiariis, qui adhuc su-
 pererant, Lucenburgum abire permittis.

§. LXIII.

*Ragotsius cum Valachis Cæsari
bellum inferens.*

Jäger. Hist. Eccl. l. c.
Adlxr. An- satiam invaserat, captisque jam pluri-
nal. Boic. bus oppidis Daniam infestis armis inun-
p. 3. l. 28. daverat, Christianus Rex viribus im-
Barre hist. par, a Ferdinando Cæsare opem im-
d' Allemagn. plorabat: Nec ei deerat Imperator;
 Galassum enim Comitem, qui denuo
 militare Imperium in se susceperat,
 cum

cum valido agmine in Holsatiam emi- Sæc. XVII.
sit, Suecosque ex Jutia expellere iussit: A. C. 1643.
Hæc tamen expeditio optato caruit suc-
cessu, partim ob dissidia inter Danos
& Galassum exorta, partim ob Vala-
chorum defectionem; hi enim ob sectæ
societatem jam aliquamdiu clandestina
cum Suecis foverant consilia; quam-
primum vero Urangelium Sueciæ Bel-
liducem cum tribus equitum millibus
ponti Viennensi adfidere compererant,
hac opportunitate utendum rati, de-
serto Cæsare, magno numero ad Sue-
cos defecerunt; hujus vero perfidiæ
causam nonnisi ex sectæ suæ studio pe-
tendam esse, sat luculenter testati sunt,
dum suis vexillis hæc verba: *Pro ver-
bo Dei, & patria suscipimus hæc omnia,*
inscribi curarunt: Insuper Ragotius
Transylvaniæ Princeps libertatem a
Cæsare violatam causatus, Hungaros
Protestantes sollicitabat, ut Cæsari ar-
ma sua extra Panoniam jungere, con-
stanter detrectarent: Annuere ejus vo-
tis Hungari, eo proniore voluntate,
quo certius per Ragotii violentias de-
nuo se Tempia sua recuperaturos
sperabant.

Sæc. XVII.
A. C. 1643.

§. LXIV.

*Lovaniensis Universitatis Doctores in
Jansenianæ doctrinæ causa Ro-
mam deputati.*

*Argentre
coll. Jud.
t. 3. p. 246.
Abrege
chronol. t. 3.
pag. 45r.*

Jamjam hoc anno bellum Ecclesiæ fu-
nestum ob Jansenii doctrinam non
modo in Belgio, sed & in Galliis exar-
descere cæperat: præprimis enim die
decima nona Junii hujus anni promul-
gata Urbani VIII. Bulla, Lovaniensis
Universitas per suum Syndicum coram
Rectore Joanne Sinnichio die vigesima
secunda ejusdem Mensis declarabat,
hujus Constitutionis promulgationem
minus legitime, ac sine Regis Hispani-
venia factam fuisse. Reclamabat Bru-
xellensis Nuntius Pontificius, nihilo-
minus Brabantiae Senatus hanc causam
unice sui fori esse contendebat. Hu-
jus auctoritate suffulti Lovanienses
sparserunt, Urbani Bullam Coloniam a
Fabio Chisio Pontificis Nuntio fuisse
adulteratam, pluresque subreptionis
notas præferre: eapropter duos Do-
ctores ad Bruxellensem Papæ Nuntium
deputabant, supplices, ut authenticum
hujus Bullæ exemplar Roma sibi trans-
missum publici juris faceret: Haud pa-
rum indignabatur Nuntius, quod hi
Doctores nequidem demandatæ facul-
tatis

tatis literis instructi, fidem Nuntii Apo-^{Sæc. XVII.}
 stolici suspectam habere præsumerent: A. C. 1643.
 nec tamen propterea cedendum existi-
 mabat Universitas, sed annuente Se-
 natu Brabantino, Mechliniensi Archi-
 episcopo, & Gandavensi Præsule Joannem
 Sinnichium, & Joannem Papium
 Doctores Romam ablegavit, qui die vi-
 gesima secunda Septembris Bruxellis
 Romam profecti, superatis variis ad-
 versantium insidiis die octava Novem-
 bris eo pervenerunt. Comperto hor-
 um discessu quidam ex Doctoribus
 Molinisticæ doctrinæ addictis die prima
 Octobris, datis ad Barberinum Cardi-
 nalem literis hosce Deputatos tanquam
 Sedis Apostolicæ rebelles, ac sublestæ
 fidei homines nigro calculo depinge-
 bant, interim vero ceteri Molinæ fau-
 tores Romæ, ut Pontifex hujus Bullæ
 promulgationem Bruxellis urgeret, nil
 intentatum, inausumque reliquere;
 nec irritum conatu; quippe ad Belgii Gu-
 bernatorem, Mechliniensem, & Came-
 racensem Archiepiscopos, Antverpia-
 num Episcopum, Lovaniensem & Dua-
 censem Universitates die decima quarta
 Octobris Apostolicæ dabantur literæ,
 quibus Bulla recipi ac promulgari jus-
 sum erat. Tandem vero Lovanienses
 Deputati Romæ die vigesima Novem-
 bris ad Pontificii Nepotis Barberini
 Car-

Sæc. XVII Cardinalis alloquium admittebantur,
 A. C. 1643. coram quo demandatum sibi negotium
 exposuere. His vero reposuit Cardinalis, æquum esse, ut Lovanienses sese Sacræ Sedis decisionibus subicerent, non vero opponerent. Ad hæc Sinnichius respondit: „nequaquam „Sedi Apostolicæ, sed his, qui eandem decipiunt, nos opponimus; si enim „Sacræ Sedi non essemus ex asse addicti, „nec tot periculis, nec tam immodicis „impensis Romam venissemus, sed cum „pluribus aliis Academiis hanc Bullam tanquam Sede Apostolica indignam, ac non nisi Molinisticæ fraudis „artificium neglectui habuissemus: de „cetero nequaquam Jansenii Yprensis „Episcopi studio, sed unice Sancti Augustini auctoritatem a Molinistis depressam tuendi animo Romam venimus: „ tum vero differentes Cardinalis interruptit, hæc asserens, *quenam ergo Sancto Augustino insertur injuria, si Jansenii proscribuntur opera?* mox autem reposuit Sinnichius, *Jansenius puram S. Augustini doctrinam tenuit, nec ullus hucusque eum ab hujus Doctoris semita deviasse demonstrare potuit:* Tandem finito colloquio Cardinalis Deputatos altera die adesse jussit, ut ad Pontificis alloquium admitterentur. Præstituta igitur die Pontifex ad expositas Deputatorum

torum querelas respondit, quod nonnisi Sæc. XVII.
 Constitutiones Pii V. & Gregorii XIII. A. C. 1643.
 confirmare intenderit, ac Jansenii no-
 men reticere sedulo caverit; inde vero
 Deputati Bullam de subreptionis vitio
 arguendi ansam sumpserunt, eoquod sæ-
 pius *nominato* Jansenio ejusdem liber
 tanquam perniciosus fuisset damnatus:
 cum autem Pontifex desuper Albizium,
 qui hanc Bullam concinnabat, consu-
 lendum diceret, eundem accessere De-
 putati, exponentes, quod a Procuratore
 Generali Augustinianorum, P. Luca
 Wadingo Franciscano, & P. Mario Do-
 minicano, Viris omni fide dignissimis
 comperissent, Bullam ad Jesuitarum
 arbitrium fuisse concinnatam, & dun-
 taxat a Dataria, non vero, uti oportu-
 iisset, a Sancto Officio subscriptam.
 Ad hæc Albizius varia obtendens, Jan-
 senium arguebat, quod Pii V. Consti-
 tutioni contra Baium emanatæ sese
 subicere tergiversatus, eundem Papam
 ignorantia in simularit: demum multis
 ultro citroque allatis hoc colloquium
 dissolutum est. Postera die quinta
 Decembris Bruxellensis Nuntius acce-
 ptis Roma literis Bullæ acceptationem
 urgere jubebatur; Pontifex vero ad
 hujus causæ discussionem tres Cardi-
 nales, Spadam, Pamphilium, & Fal-
 conerium nominabat, ac die sexta Junii
Hist. Eccles. Tom. LX. Yy con-

Sec. XVII. condito decreto ad dignoscendam rei
A. C. 1643. veritatem Lovaniensibus Deputatis au-
thenticam Bullæ copiam tradi præ-
cipiebat.

§. LXV.

*Tumultus in Galliis exorti ob Ur-
bani VIII. Bullam.*

*Bibl. Sorb.
arm. 1. 3.
15. tit. Hist.
de Bajan.
Sfondr.
Gall. vind.
Dist. 3.
pag. 770.
Arnald.
Apol. III.
cap. 12.*

Nec magis pacato animo Janfenianæ
doctrinæ fautores Urbani VIII. Con-
stitutionem receperunt in Galliis: E-
quidem hujus Constitutionis exem-
plar ad Cardinalem Grimaldum tunc
Apostolicæ Sedis in Francia Lega-
tum Roma transmissum, quo fato
ignotum, fuit deperditum, nihilomi-
nus varia illius transumpta passim om-
nium terebantur manibus; unde in Pa-
risinæ Urbis Ecclesiis quotidie audie-
bantur declamationes Concionatorum,
quorum alii Yprensis Episcopi doctri-
nam super astra extollebant, alii vero,
atque inter eos præcipue Habertus,
postea Vabrensis Episcopus Janfenii li-
brum plusquam quadraginta hæresibus
scatentem damnabat: Præfestino ho-
rum judicio offensus Joannes Franciscus
Gondius Parisiensis Archiepiscopus pro-
mulgato edicto die quarta Martii inhi-
buit, ne quæstiones tum controversæ
ex suggestu in Ecclesiis agitentur.
Nihilo-

Nihilominus Antonius Arnaldus, quem Sæc. XVII. A. C. 1643.
 ad id San - Cyranus Abbas datis ad eum literis hoc anno die prima Februarii ex suo carcere sollicitabat, Jansenium ejusque doctrinam editis duabus apologiis pro aris & focis tueri aggrediebatur, ac Pontificis Bullam *fraudibus, & fictis relationibus extortam, neque pro vera & legitima habendam esse* dictitabat, non tamen deerant alii, qui Urbani VIII. Bullam omnino supposititiam esse, demonstrare niterentur; hanc in rem prodire duo libelli, quorum titulus: *observationes in falsam Bullam paucos ante dies disseminatam contra S. Augustini doctrinam in Jansenii libro explanatam.* Has Grimaldus mox ad summum Pontificem transmiserat, questus, quod genuinum hujus Bullæ exemplar Roma nondum recepisset: postquam vero unacum solida harum observationum confutatione die quinta Septembris authenticum exemplar receperat, Parisiensem Archiepiscopum tantopere urgebat, ut hic die undecima Decembris Urbani VIII. Bullam in sua Diæcesi recipi juberet, ac Jansenii librum proscriberet, vulgato hanc in rem edicto sequenti.

„Joannes Franciscus de Gondi, Dei
 „& S. Sedis Apostolicæ gratia, Parisi-
 „ensis Archiepiscopus, omnibus per-
 „sonis

Yy 2

Sæc. XVII., sonis Ecclesiasticis, Sæcularibus &
 A. C. 1643., Regularibus, atque etiam Laicis in
 „Diæcesi nostra constitutis, Salutem in
 „Domino. Ex quo tempore gravem
 „& periculofam de Divinis Auxiliis
 „Summorum Pontificum Gregorii XIII.
 „& Pii V. cura, contentionem extin-
 „ctam a doctis nonnullis hominibus
 „vehementius excitari, & renovari do-
 „lentes vidimus, Pastoralis nostræ sol-
 „licitudinis esse duximus tanto malo
 „quantocius occurrere, ac efficere, ut
 „omnes, quibus Deus nos invigilare pro
 „sua beniguitate voluit, solliciti essent
 „servare unitatem Spiritus in vinculo
 „Pacis. Eo fine decretum edidimus
 „die 4. Martii præsentis anni, quo di-
 „strictè cavimus, ne in Concionibus,
 „quæ ad populum fiunt intra Diæcesis
 „nostræ fines, ullus cujusque Ordinis,
 „Qualitatis & Conditionis esset, ha-
 „rum occasione controversiarum in
 „contraria sibi sentientes inveheretur,
 „doctrinam, quam non probaret, hæ-
 „resis aut erroris condemnaret: neve
 „omnino in iisdem concionibus, sub
 „quocunque prætextu eas difficultates
 „in contentionem disceptationemque
 „vocaret; cum vero acceperimus Con-
 „stitutionem a SS. D. N. Papa, qua fi-
 „delium ille omnium Pater, Prædeces-
 „sorum vestigiis inhærens, in hoc im-
 „minens.

„minenti periculo discordiarum, Ec- Sæc. XVII.
 „clesiæ paci consultum voluit; ex offi- A. C. 1643.
 „cil nostri ratione censuimus, esse eam
 „vobis significare, uti tanquam ab ea
 „Sede prodeunte excipiatis: unde Apo-
 „stolici Spiritus oracula referantur:
 „Illi, qua decet, reverentia & animi
 „demissione obtemperetis, & qui sen-
 „tentiarum varietatis, quam simplicis
 „atque unius veritatis cupidiores, in-
 „consultius se ferventiusque gesserunt,
 „ad unam Catholicam doctrinam se-
 „ctandam, Christianamque mansuetu-
 „dinem, ac tranquillitatem amplexan-
 „dam, communis omnium Pastoris voce
 „revocentur. Ad hujus itaque men-
 „tem ac voluntatem toto affectu acce-
 „dentes, librum, cui titulus est: *Au-*
 „*gustinus*, sub nomine Reverendissimi
 „Domini Cornelii Jansenii Yprensis o-
 „lim Episcopi editum, *propositiones a*
 „*summis Pontificibus damnatas conti-*
 „*nentem*, theses etiam a Patribus So-
 „cietatis Jesu Universitatis Lovaniensis
 „occasione hujus libri editas, & quid-
 „quid tam contra, quam pro eo libro
 „& thesibus istis impressum est, ordi-
 „naria nostra autoritate prohibemus.
 „Et ne quis cujuscunque status, con-
 „ditionis, gradus, Ordinis ac dignita-
 „tis existat, mandare aut mandari cu-
 „rare typis ullum possit opus de Divi-

Sæc. XVII. „nis Auxiliis absque speciali nostra li-
A. C. 1643. „centia sub anathemate interdicimus.

„Renovantes præterea nostrum præ-
„cedens Decretum, sub eadem excom-
„municationis pœna vetamus, ne ul-
„lus in Concionibus & Catechismis
„eas quæstiones moveat, quæ conten-
„tiones ejusmodi excitant, nec faciunt
„ad ædificationem; ac denique ne
„quisquam *ausu temerario damnatas in*
„*ea constitutione propositiones ullo pacto*
„*propugnet.* Datum Parisiis die unde-
„cima Decembris anno Salutis millesi-
„mo sexcentesimo quadragesimo tertio.

Insuperhabito tamen hoc edicto Jan-
senii Fautores sub specioso Augustinia-
næ doctrinæ veritatem tuendi obtentu
sefe Constitutioni Pontificiæ totis viri-
bus opposuere: optandum tamen fuis-
set, ut Jansenii vindices ejus quoque
modestiam fuissent imitati; si enim
eum ut Magistrum agnoscunt, cur non
æque illius humilitatem, modestiam,
obsequiumque erga Sacram Sedem imi-
tantur? forte eos pudet ab illo discere
virtutes, a quo didicerunt errores.

§. LXVI.

*Quidam Abbatis San - Cyrani liber
a Parisensi Archiepiscopo
proscriptus.*

Ineunte

Ineunte hoc anno die vigesima septima Januarii idem Joannes Franciscus Parisiensis Archiepiscopus inibuit, ne liber, cui titulus: *Theologia familiaris seu succinta instructio de iis, quæ Christiano credenda, & pro salute in hac vita agenda sunt*, in sua Diæcesi legeretur, aut a Bibliopolis venderetur. Eundem hunc librum Sacra Romanorum Inquisitorum Congregatio die vigesima tertia Aprilis anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto inter libros reprobatæ doctrinæ recensuit. Erat hujus operis Auctor Joannes Vergierus Abbas San-Cyranus, qui in animo habebat antiquam disciplinam Ecclesiæ restaurare, & mysteria fidei naturali ratione explanare, sed cum Ecclesiam jam corruptam temere existimaret, mysteriaque fidei ratione sua metiretur, perversam doctrinam clanculum disseminabat, quam S. Vincentius a Paulo, a quo sodalitas Presbyterorum missionis instituta est, manifestam fecit, ut in ipsius vita describitur, & nos supra memoravimus.

Ejusdem San-Cyrani epistolæ ad Jansenium sua manu exaratæ atque eadem, cum in carcerem captus abducebatur, ablatæ Parisiis in Bibliotheca Claromontani Collegii apud Jesuitas extitisse dicuntur, habentur quoque

Y y 4

ali-

Sæc. XVII.
A. C. 1643.*Index libr. proh. Lib. V. p. 286. Argentre Coll. Jud. t. 3. p. 246.**Vid. supra l. 199. §. 99. p. 335. t. 60.*

Sæc. XVII. aliqua ex istis literis excerpta, atque in
A. C. 1643. lucem publicam edita, an vero genuina, & non adulterata fuerint, a multis dubitatur, saltem nunquam eorum authographa fuerunt exhibita, quamvis Jansenistæ id sæpissime, ac impertune petiissent: genuinas vero San-Cyranni literas esse obtendunt Jansenistæ, quas Arnaldus Andillius anno hujus sæculi quadragesimo quinto publici juris fecit.

§. LXVII.

*Antonii Arnaldi liber de frequenti
Communione.*

Abrege de l'hist. Eccl. p. 3. fol. 453. Hist. Jansen. Leyd. l. 3. p. 487. Arnald. in præf. & part. 3. c. 16. Prodiit hoc anno liber de frequenti Communione ab Antonio Arnaldo Doctore Sorbonico compositus, & a pluribus Episcopis, universo Aufchiannæ Provinciæ Clero, necnon a viginti quatuor Sorbonæ Magistris approbatus. Hujus libri occasio erat alius libellus per Franciam hoc anno sparsus, quo Jesuitæ frequentem imo & hebdomadariam communionem statim a confessione pœnitentibus commendabant, etsi adhuc amore sui & mundi pleni essent: cum autem eo tempore nil magis familiare esset, quam quod Jesuitæ Jansenistis Calvinianam hæresin de gratia, & vicissim Jansenistæ Jesuitis re-

laxa.

laxatam Religionis praxin objicerent, Sæc. XVII.
hinc confestim divulgato Jesuitarum li- A. C. 1643.

bello Jansenistæ exclamare cæperunt,
hujus libri doctrina denuo latam ad fa-
cilem viam aperiri: quinimo ipsemet
Octavius de Bellegarde Archiepiscopus
Senonensis datis ad Cardinalem Barbe-
rinum literis acriter desuper declama-
bat, his verbis: „Desidia & dissolutio
„animarum, atque infirmitas lanquen-
„tis disciplinæ ad hunc excessum per-
„venere, ut fere non liceat de vera
„pœnitentia, & sincero Dei amore ver-
„ba facere. Atque hoc artificium est,
„quo utitur generis humani hostis, quo
„vult, ut loco veræ pietatis hæc spu-
„ria & remissa commendetur, quasi id
„foret a recta semita recedere, errores
„relinquere, ut ad rectam viam redeas.

„Itaque videmus Apostoli verba esse
„impleta in pluribus, *quod non poterint*
„*homines ferre sanam doctrinam, sectaturi*
„*Doctores adulantes, & occlusuri aures*
„*veritati, ut eas fabulis & figmentis aperiant.*
„Sane fovent nonnulli omnium vitio-
„rum licentiam, & irritam faciunt cru-
„cem Christi. Namque ex vero dicere
„liceat, quod ludus a plurimis maxi-
„ma fiant crimina, & fere ipsa pœ-
„nitentia.,

Ejus tenoris literas dabat Octavius
ad Papam, assentientibus Archiepisco-
pis

Sæc. XVII. pis Tolofano, Burdigalensi, & Turo-
 A. C. 1643. nensi, necnon duodecim aliis Franciæ
 Episcopis: quoniam vero in Jesuitarum
 libro maxime San-Cyrani dogma, quo
 poenitentes diu exercitiis poenitiæ,
 antequam ad Sacrum Altare accede-
 rent, se a peccatis perpurpare jubeban-
 tur, recta impeteretur, hinc Antonius
 Arnaldus intimus San-Cyrani amicus
 Magistri sui doctrinam vindicare statuit,
 suumque librum *de frequenti Communi-
 one* opposuit, ingenti applausu a San-
 Cyrani fautoribus exceptus, ab adver-
 sariis vero ac præcipue a Vaurenfi in
 Occidania Episcopo vehementer exagi-
 tatus; illico enim plurimi edebantur
 libri, quibus Arnaldi paradoxa, hæ-
 retica, & cum Abbatis San-Cyrani
 doctrinis consona perstringebantur,
 ipse etiam Condæus Princeps gravem
 de hoc libro querelam ad Franciæ Re-
 ginam detulit, Prodiit eodem quoque
 anno Parisiis contra Arnaldum liber,
 cui titulus: *Christianæ & Catholicæ ob-
 servationes in librum de frequenti Commu-
 nione*, in quo Auctor, qui Princeps
 Condæus credebatur, Arnaldo expro-
 brat, quod nova & perniciofa sua do-
 ctrina fideles a Sacramentis absterreat,
 plurima bona opera impediat, atque
 etiam pios pervertat, ita ut metuant
 ad Sacramenta accedere, imo ad mor-
 tem

tem usque eorum usum differant. In-
 super Arnaldum perstrinxerat, quod
 D. Petrum & Paulum æqualia esse Ec-
 clesię capita statuatur, ex obliquo absol-
 vendi potestatem, Confessionem & pœ-
 nitentiam abroget, & publicę pœnitentię
 necessitatem inducere conetur. Non deerant,
 qui Arnaldi librum Romana censura perstringi
 adlaborarent, quod etiam sequenti & rursus
 anno hujus sæculi nonagesimo ab Alexandro
 VIII. factum est, frustra intercedentibus
 quibusdam Francię Archiepiscopis & Episcopis,
 qui Authorem amplis honorabant encomiis:
 ipse etiam Arnaldus semetipsum contra P. Petavi-
 um, adversarium suum vindicaturus edidit
 librum hoc titulo: *Traditio Ecclesię circa
 Pœnitentiam & Communionem &c.* Hunc partum
 velut Palinodiam Arnaldus Reginę obtulit,
 hæc vero dolum subodorata & Arnaldi librum
 nequidem aspectu dignata, tertio jussit,
 ut Arnaldus sine mora Romam contenderet,
 ibidem suę doctrinę rationem redditurus:
 ipse vero fors causę suę diffusus, Parisiis
 per plures annos absconditum in latebris
 tenuit, a suis duntaxat sæpe visus: favebant
 enim ei quidam Sorbonę Doctores, ipsum
 etiam Parlamentum inter se divisum erat,
 cui tandem a Regina injunctum,
 ut

Sæc. XVII.
 A. C. 1643.

Sæc. XVII. ut per Deputatos in rei momenta in-
A. C. 1643 quireret Regiamque sententiam ex-
 spectaret. Nec tamen propterea Ar-
 naldus librum suum a censuris vindicare poterat; quippe præter Vesuntinum Archiepiscopum, ipsa etiam suprema Burgundici comitatus Curia Arnaldi & San-Cyrani opera in Provinciam invehi, perlegi aut lecta audiri, vel ab ullo retineri prohibuit: demum ipse Humbertus de Præcipiano Mechliniensis Archipræsul ad saniora reversus, die decima quinta Januarii anno hujus sæculi quinquagesimo nono hunc librum damnavit, eoquod frequentationem Sacramenti Pænitentiae subdole arrodatur, atque ad omnem ejus usum penitus abolendum viam sternat: Hanc vero labem Arnaldi librum Ecclesiae intulisse, testatur ipsemet S. Vincentius a Paulo in suis ad Arnyum Congregationis Missionariorum Sacerdotem literis die vigesima quinta Junii anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo Parisiis datis: ubi hæc habet: „Videamus, de quo agatur, de libro de frequenti communione scribis verum est, tantum abesse, ut efformatus in hunc modum liber legendi desiderium ac studium frequentis communionis afferat, ut potius eundem ab ea avocet, & retrahat. Jamque ipso etiam tem-
 „pore

Collect. Bot-
 tagrifiana
 t. 17. p. 330.

„pore Paschali is frequens Sacramento- Sæc. XVII.
 „rum usus non est, qui alias vigebat. A. C. 1643.
 „Non pauci Curiones Parisienses que-
 „runtur de infrequentia, & longe ra-
 „riores fuisse communionem testantur,
 „quam annis prioribus. Curio ad S.
 „Sculpitii tria millia eorum numerat,
 „qui hoc anno ad sacram Mensam non
 „accessere. Curio ad S. Nicolai de
 „Cardineto, cum omnes, quæ Parœ-
 „ciæ suæ addictæ sunt, ædes & per
 „seipsum, & per alios lustrasset, non
 „multo abhinc tempore asseruit, e suis
 „Parochianis omnino mille & quingen-
 „tos ab Eucharistica mensa abfuisse. Et
 „sic idem sentitur ac dicitur de alijs. Non
 „sunt fere amplius, vel certe non nisi
 „rari, qui cælesti epulo accumbant
 „prima mensis Dominica, aut festis so-
 „lennibus; neque plus aliquid præstari
 „cernimus in templis Religiosorum,
 „nisi quod adhuc pauci quidam sacra-
 „menta frequentent in illo, quod Je-
 „suitarum est. Et hoc ipsum specta-
 „bat San- Cyranus, eoque sua refere-
 „bat consilia, ut Jesuitas apud omnes
 „invidiæ ac contemptui objiceret. Cha-
 „vignyus paucis abhinc diebus narra-
 „bat amicorum suorum uni, falsum
 „sibi esse San - Cyranum, quod inito
 „cum Jansenio foedere ratum utrique
 „sit ac fixum, juncta opera id conari,
 „ut

Sæc. XVII. „ut sanctus hic ordo omni sua fama ac
A. C. 1643. „fide excideret, atque in rebus ad do-
 „ctrinam & pia in procurandis sacra-
 „mentis obsequia pertinentibus, pro-
 „bro ac infamia notaretur. Ego ipse
 „prope quotidianos ejusmodi sermones
 „audivi, in quibus de infamandis &
 „opprimendis Jesuitis deliberationes
 „habebantur. „

„Cum primum Arnaldus, qui li-
 „brum *de frequenti communione* suo nomi-
 „ne insignitum in publicum emisit, pœ-
 „nitentiam publicam, & illam alteram,
 „quam S. Communioni præmitti vole-
 „bat, a multis impeti & erroris accu-
 „sari cerneret, pro tuenda causa sua
 „id unum reposuit, sibi nonnisi *de ab-*
 „*solutione declaratoria* sermonem fuisse.
 „Sed quomocunque obtentus hic se
 „habeat, plures alii errores in eo libro
 „sunt, quemadmodum asseverarunt
 „Grandius Professor Navarræus, Vir
 „ex doctissimis nostri temporis homini-
 „bus, Confessarius regius, Cornetus,
 „& Coqueretus, qui de hoc ipso nego-
 „tio collaturi consilia in nostra Domo
 „convenerant; illudque adjecere, *ejus-*
 „*modi declarationem plenam fraudis ac*
 „*præstigiæ esse*, multaque alia com-
 „plecti, quæ nihilo plane saniora sint
 „iis, quæ in primo libro scripsisset.
 „Num enim id, quod ait: Ecclesiam,
 „cum

„cum primis suis temporibus ante ab-
 „solutionem suscipi & agi voluerit pœ-
 „nitentiam publicam, semper habuisse
 „in animo illam instaurare, & in usum
 „revocare; alioquin, si ab hac mente
 „unquam sua desisteret, non fore am-
 „plius incorruptæ & perennis verita-
 „tis columnam, sed errorum synago-
 „gam; num hoc, inquam, non gravi-
 „ter offendit animos, & in errorem in-
 „ducit? quid? num forsitan Ecclesia,
 „quæ in doctrina fidei eadem semper,
 „ac pura & integra est, in modo di-
 „sciplinæ mutandi quidpiam potestate
 „& authoritate caret? An non ipse
 „Deus, in seipso infinite immutabilis,
 „variavit rationem agendi cum homi-
 „nibus? an non interdum etiam suam
 „divinus Filius: suam Apostoli? Quo
 „animo igitur, aut quem in finem fin-
 „git hic homo, Ecclesiam abituram a
 „via veritatis, si non perseveret in con-
 „silio redintegrandi eam pœnitentiæ
 „formam, quam olim in mores indu-
 „ctam exerceri volebat? num hic ho-
 „mo Catholicus est? „

§. LXVIII.

Alia Facultatis Acta.

Sub idem tempus Jacobus Nouet Je-
 „fuita arguebatur, quod in publicis
 „Concionibus, librum Arnaldi de fre-
 „quenti Communione, scriptis Lutheri &
 „Cal-

Sæc. XVII.

A. C. 1643.

Sæc. XVII. Calvini pejorem esse, afferuisset; at-
A. C. 1643. tamen desuper interrogatus, hæc a se
 fuisse dicta, constanter pernegabat, e-
 jusque confessio hac de re facta in no-
 vam Collectionem Commentariorum
 Cleri Galliani typis inserta extat.

Præterea Mense Decembri Univer-
 sitatis Parisinæ Rector apud Regii Se-
 natus Curiam questus erat, quod Pa-
 ter Airaultus itidem Jesuita quosdam
 ediderit libellos, in quibus propositio-
 nes de homicidio, Regibus & Principi-
 bus adversæ continerentur: has igitur
 Regius Senatus anno sequenti
 condemnavit. Insuper quædam theses
 apud Jesuitas Parisiis in Collegio Cla-
 romontano propugnatae offensionem de-
 derunt, eoquod naturali attritioni ho-
 nestæ nimiam vim tribuerent ad ve-
 niam in Sacramento Pœnitentiæ ob-
 tinendam, quocirca Innocentius hanc
 damnavit propositionem: *probabile est*
sufficere attritionem naturalem, modo
honestam.

§. LXIX.

Initia Congregationis Eudistarum,
& Filiarum Charitatis.

Mem. du
tens. He-
liot Ord.
Monast, t. 8.
pag. 159.

Ad hunc annum referuntur initia no-
 vae in Francia Congregationis sub
 invocatione Jesu & Mariæ: Hujus in-
 stituti Auctor erat Pater Eudes Meze-
 raii Regii Historiographi Frater, qui
 die

die vigesima quinta Martii anno hujus Sæc. XVII.
 sæculi vigesimo tertio sese Congrega- A. C. 1643.
 tioni Patrum Oratorii adjunxit, ac
 tertio post anno Sacris initiatus totum
 sese Apostolicis laboribus dicavit: cum
 autem ad Missiones cum amplo anima-
 rum proventu obeundas nil magis quam
 Seminaria, in quibus juvenes Sacer-
 dotes in dignos Ecclesiæ Pastores ac
 Operarios efformarentur, conducere a-
 gnosceret, relicto Oratorii instituto in
 Cadomenfi urbe octo Presbyteros Evan-
 gelico spiritu animatos sibi aggregavit,
 obtentisque hoc anno Regiis literis
 prima Congregationis suæ fundamenta
 ibidem die vigesima sexta Martii jecit:
 Appellabantur hi Sacerdotes a Funda-
 toris sui nomine Eudistæ, qui nec ha-
 bitu a ceteris Presbyteris sæcularibus
 distincti aucto suorum numero unice eo
 intenti sunt, ut in Seminariis, quo-
 rum plura in Galliis fuere erecta, ju-
 venes Clericos in omnibus pietatis, &
 Pastoralis Theologiæ exercitiis imbue-
 rent, & in variis Franciæ Urbibus sa-
 cras expeditiones obirent.

Eodem hoc anno (*) Ludovica de *Abrege de*
 Marillac illustris Legrasii Vidua in Gal- *Hist. Eccl.*
 liis *t. 10. p. 350.*

(*) Alii Scriptores referunt, hujus Insti-
 tuti fundatricem extitisse Nobilem Virginem
 de Grao.

Hist. Eccles. Tom. LX.

Zz

Sæc. XVII. liis instituit Ordinem *Virginum de cha-*
A. C. 1643. *ritate*, quæ vulgo ob habitus sui colo-
 rem *Griseæ Sorores* nominantur. Harum Regimen eadem Matrona commiserat Sancto Vincentio a Paulo, ejusque Successoribus, quorum directione novum hoc institutum ad curandos pauperes ægrotos destinatum intra breve temporis spatium tam ampla cepit incrementa, ut non modo in Francia, sed & in Polonia & Belgio plusquam trecenta ejusmodi asceteria numerarentur: Nec hoc pietatis specimine exhausta erat hujus Matronæ charitas; quippe promovente eodem Sancto Vincentio, & concurrentibus aliis Matronis Nobilibus, eadem Parisiis in Sancti Victoris suburbio amplam domum locaverat, in qua expositos infantes recipi, atque educari voluit.

§. LXX.

Prima Bollandistarum opera.

Abrege de
l'hist. Eccl.
tom. 10.

Jam integrum effluxerat triennium, ex quo Jesuitæ in Flandria librum sub titulo: *Imago primi sæculi Societatis Jesu* non sine multorum offensione publici juris fecerant: majore autem Societatis gloria, & Ecclesiæ utilitate Antverpiæ Joannes Bollandus in laboris societatem adscito Godefredo Henschenio

Sæc. XVII.
A. C. 1643.

nio acta Sanctorum ab Heriberto Rosweido inchoata perficere aggressus est, atque hoc anno duo volumina, vitas Sanctorum, quorum memoria in Mense Januario occurrit, complectentia Antverpianis typis excudi curavit, & decimo quinto post anno Sanctorum gesta ad Mensum Februarium tribus voluminibus edidit; quo fati functo ex eadem Societate alii (utinam omnes eadem moderatione & modestia) conspicuum hoc opus prosecuti sunt: Demum funestam hoc anno sortem experiebantur Melitenses Jesuitæ, qui ob graves causas ex hac Insula ejecti, jure an injuria, de avaritia, & morum licentia postulabantur.

§. LXXI.

Anceps Caroli I. Angliæ Regis bellum contra rebelles subditos suos.

Obfirmata rebellis Parlamenti pervicacia Carolum I. Angliæ Regem ad auctoritatem suam armis tuendam, bellumque prosequendum hoc item anno compulit: Enimvero Regina oppresso Marito suo suppetias ferre, toto studio nitebatur, eique navim unam armis, annona, bellicoque apparatu onustam submiserat, nimis tenue tamen erat hoc subsidium contra armatam Pu-

Rusworth Vol. V. pag. 157. Salmon hist. Chron. d' Angl. t. 1.

Zz 2

rita-

Sæc. XVII. ritanorum ferociam, quamvis & illud
A. C. 1643. rebelles subditi legitimo suo Regi invi-
 derint, ac Comes Warwichus seditiosæ
 classis Architassus hanc unicum navim
 acriter infectatus fuerit, cumque Par-
 lamenti Senatores compertum habe-
 rent, quod Regina, opitulante Arau-
 sionensi Principe genero suo, ab Hol-
 landis suppetias obtinuisset, mox Wal-
 terum Stricklandum ad eos desuper
 questum mittebant: unde Hollandi,
 cum ita afflictæ Reginæ succurrere vel-
 lent, ut tamen Parlamentum non of-
 fenderent, arma in Angliam transferri
 prohibuerunt, clam tamen Reginæ re-
 ditum in Angliam paranti amplam ar-
 ma & copias secum devehendi faculta-
 tem concessere, & nihilominus unam
 ex Regiis hisce navigiis interceperunt:
 Tandem Regina die vigesima secunda
 Februarii Bridlingtonii portum cum
 navibus suis ingressa est, Eboracum
 profectura: altera autem die quatuor
 seditiosorum navigia in eundem portum
 invehebantur, bellicæ tormentis Re-
 gias naves tam acriter impetebant, ut
 glandes plumbei in urbem immitti ipsam
 quieverat, ubi Regina ab itinere fessa
 eamque ad pauperis rustici casam pro-
 fugere compellerent: Acrius adhuc in
 ipsum Regem desæviebant; postquam
 enim

enim Guilielmus Wallerus Farnhamium, Cicestriam, Leedesiam, Dun-
 caltrium, & Wackenfeldam seditiosis Sæc. XVII.
A. C. 1643.
 armis Regi eripuerat, cunctas ferme
 Provincias ad arma contra Regem ca-
 pessa incitarunt, atque Eboracenses
 & Cheltrienses, qui neutri parti ad-
 hære decreverant, ut sese Parlamenti
 partibus jungerent, adhibitis etiam
 minis compulerunt, ne Rex copias
 suas in uno loco unitas tenere posset,
 sed illas per univèrsam Regnum disper-
 sas habere cogeretur: Sub idem tem-
 pus Rex quosdam, qui in nupero præ-
 lio gladium contra Regem suum frin-
 gendo capti fuere, Oxonii capite dam-
 nabat, quos tamen Parlamentum non
 modo liberavit, sed etiam illos, qui
 ex debiti obsequii lege Bristollum
 urbem Regi suo conservare nitentur,
 sub conjurationis obtentu capite plecti
 jussit, incassum reclamante, ac com-
 minante Carolo Rege, eodem vicissim
 supplicio interimendos, qui ex Parla-
 menti exercitu nuper capti fuissent. Ut
 vero utriusque Curia Senatores Re-
 gem pacis fiducia sopirent, ipsi vero
 vires suas augendi spatium nancisce-
 rentur, rursus primo cessationem ab
 armis, ac demum pacis negotiationem
 Regi obtulerunt, præscriptis tamen
 conditionibus adeo iniquis, ut eas a
 Rege

Sæc. XVII. Rege respui, probe prospicerent. Fra-
A. C. 1643. Et demum patientia Rex expugnata
 Marleburgensi arce Radulpho Hopto-
 nio negotium dedit, ut rebelles armis
 coercere niteretur: Hic ergo, promotis
 Leskardum versus castris, in seditio-
 sum agmen irruit, captisque plusquam
 mille ducentis, ceteros unacum Ru-
 theno Plimuthi Governatore, in fugam
 egit, occupatoque belli apparatu, om-
 nique re frumentaria, paulopost Strato-
 riæ iterata clade seditiosos fudit, cap-
 tisque mille septingentis universam
 Cornubiensem Provinciam Regis im-
 perio restituit. Parta hac victoria Lu-
 cas Regiæ legionis Tribunus Belve-
 riam arcem interceptit, & Robertus
 Princeps Palatinus expugnata Cice-
 striensi arce, captisque mille ducentis
 præfidiariis unacum Governatore, Bro-
 michanam, & Licheldiam Parlamenti
 urbes occupavit, perviumque ac tutum
 iter Oxonium inter & Eboracum resti-
 tuit. Pari successu Regii prope Stafor-
 diam seditiosum agmen die vigesima
 nona Martii fuderunt, desiderato ta-
 men Northamptono Regi fidelissimo.
 Vicissim vero rebelles, Maldunensi ur-
 be Regi erepta, duo in Walliæ Prin-
 cipatu recens conscriptorum millia in
 captivitate abstraxere, Essexius quo-
 que Comes die sexta Maij Radingam,
 potius

potius Fieldingi Gubernatoris ignavia, Sæc. XVII.
 quam oppugnationis violentia in dedi- A. C. 1643.
 tionem accepit, incassum Rege labo-
 ranti urbi suppetias ferre festinante:
 Postmodum crebris dimicatum est ve-
 litationibus, Regiis nunc devictis, nunc
 victoribus: rebellibus tamen oppido
 funesta accidit clades, qua Robertus
 Princeps expugnatis Essexii castris se-
 ditiosos Chalgravii ferme ad interne-
 cionem delevit, trucidato etiam Joanne
 Hampdeno, præcipuo seditionis in-
 centore.

§. LXXII.

*Scoti rebelles a Parlamenti Senatori-
 bus contra Regem suum in An-
 gliam evocati.*

Quantumvis Angli rebelles iterata
 clade, & grassante in castris lue- Rapin Thoi-
 ras Hist.
 magno numero confecti essent, atque d'Angl. t. 9.
 inhumanam juxta ac iniquam Regis p. 427.
 vexationem abhorrentes Hugo Chol- Salmon l. c.
 mondlegus, Chudeighus, ejusque Fi-
 lius, Wilmotus, Bedfordius, Hollan-
 dus, & Clavius Comites, Conwayus,
 Biddifordius pluresque alii primæ di-
 gnitatis Proceres abdicato rebellium stu-
 dio ad Regis obsequium reverterentur,
 imo ipsemet Rex denuo subditis suis
 pacem obtulisset, nihilominus tanta
 Zz 4 erat

Sæc. XVII. erat dominandi cupido, tamque ardens
 A. C. 1643. Regem opprimendi aviditas, ut Parla-
 mentum, & Londinenses Scotorum
 conjurationem contra Regem initam
 firmarent, eique accederent, & horum
 rebellium copias in Angliam accerse-
 rent: Insuper Reginam eoquod die de-
 cima tertia Julii tria armatorum millia,
 octo belli tormenta, ingentemque ar-
 morum apparatus in Regis opem ad-
 duxisset, tanquam perduellionis ream ac-
 cusarunt, demum celebriores quoque Pu-
 ritanorum Prædicantes habito Westmo-
 nasterii conventu & abrogata Anglicana
 Liturgia, Scoticam seu potius Geneven-
 sem in Regis contemptum invexerunt:
 Præterea Cornwellus, tot funestiarum
 revolutionum auctor ex audacissimis
 rebellibus novum contraxit agmen, si-
 mulque Parlamentum duos exercitus
 recens conscribi, ac per universum Re-
 gnum in militum stipendia singulis
 hebdomadibus triginta quatuor millia,
 octingentas & octo libras sterlingicas
 pendi jussit: Stomkium vero & Chalo-
 nerum, necnon Tyburnum Wallerum
 Nobiles, eoquod Parlamentum ad ho-
 nestas pacis condiciones Regi proponen-
 das, & tollendas ejusmodi exactiones
 inducere moliti essent, capitis supplicio
 damnarunt: foeminas vero Londineu-
 ses, quæ pacem toties promissam tan-
 dem

dem concludi petentes turmatim West-
 monasterium confluerant, emissis dua-
 bus Equitum turmis abegerunt, con-
 cessa resistere ausas trucidandi facul-
 tate. Fiennius etiam Bristolii propu-
 gnaculi Gubernator totum Magistrat-
 um, pluresque cives patibulo affigi
 iussit, eoquod hi urbis portas Regi suo
 aperire statuissent. Denique seditiosi
 Senatores Joannem Hothamum, ejus-
 que Filium, egregios Tribunos, Lon-
 dinensi Turri includere, eoquod illos ad
 Regis signa transituros suspicarentur.

§. LXXIII.

Bristolium a Regiis expugnatum.

Aucto Batavorum suppetiis exercitu
 Regio aliquamdiu prospero pugna-
 batur Marte, ac die nona Julii Neo-
 castellus Comes capta Brudfordia Fair-
 faxii copias, & Carolus Lucas Middle-
 toni Equitatum proffigarunt, ipsa etiam
 Regina cum valido agmine Oxonium
 movit, ac Burtoniam urbem irruptione
 facta subegit, demumque Guilielmo
 Wallero bina clade protrito Oxonium
 unacum Regio suo Marito solemni pom-
 pa ingressa est. Die autem prima Au-
 gusti Princeps Robertus Bristolium cin-
 xit, ac quarto obsidionis die vi cepit;
 Carnavonus quoque Regis nomine Dor-
 cestriam,

*Rusworth.**Vol. VI.**p. 317. &**361.**Puffend. in-**trod. a Hist.**univ. l. 4.**c. 1. tom. 4.*

Sæc. XVII. A. C. 1643. cestriam, & paulopost Vimutiam, & Vindeliâ urbem Regi vindicavit. Pari etiam adspirantis fortunæ nutu Regii in Septentrionalibus Regni Provinciis seditiosos coercebant, & Essexiæ Comitum, ut Glocestriæ obsidionem solveret, compellebant.

Quantumvis vero Rex tot victoriis inclaresceret, nihilominus die quarta Augusti promulgato edicto Parlamenti Senatoribus omnium criminum veniam, juriumque suorum liberum usum, novasque exemptiones obtulit, dummodo ad obsequium redire vellent: Verum rebelles cuncta pacis consilia, utpote suo Regiam auctoritatem evertendi proposito omnino adversa, usque adeo respuebant, ut etiam Regem velut Hiberni tumultus Authorem publico proclamate traducerent, omnesque Regis, Reginae & Walliæ Principis redditus ac proventus ad bellum Regi inferendum interciperent, utque suum odium etiam in cineres Jacobi I. Regis sui exercerent, ejus librum de *oblectamentis in diebus Dominicis* manu carnificis publice comburi jusserunt, ac insuper die vigesima prima Novembris, ut iniquissimis suis edictis auctoritatem conciliarient, novum Regni sigillum, quod juxta Eduardi III. legem solius Regis erat, pro se solis confici curarunt, palam de-

clarant

clarantes, quod omnia diplomata, ac Sæc. XVII
 literæ ab Carolo Rege a die vigesimo A. C. 1643.
 secundo Maij anni supra millesimum
 sexcentesimo quadragesimo secundi ex-
 peditæ deinceps nullius essent valoris,
 ac vetus Regni sigillum omni careret
 auctoritate, cunctaque Natio, sicut in
 ceteris, ita in hoc articulo sese supre-
 mæ Parlamenti voluntati subdicere te-
 neretur. Postea omnia vasa argentea,
 cunctosque thesauros a Regiis Westmo-
 nasterii collectos occuparunt, novoque
 suo sigillo munierunt, imo nequidem
 Regio Prædicanti argenteum calicem
 pro administranda Sacra Cæna relinqui-
 runt, caussantes, quod calix ligneus
 æque pro Rege deservire posset: Deni-
 que Daniele Knivetonum & Carpen-
 terum Nobiles a Rege Westmonasterium
 eo sine missos, ut cunctos Judices Oxo-
 nium venire juberent, tanquam explo-
 ratores in vincula conjecerunt, & qui-
 dem Knivetonum capite damnarunt,
 alterum vero data vitæ venia in exi-
 lium egerunt. Postquam vero Essexius
 Comes Novoburii regios ingenti clade
 affecerat, seditiosi Senatores victorem
 cum suo exercitu die tertia Octobris
 cum summis honorum ac tripudii signi-
 ficationibus Londini exceperunt: unde
 Rex fidelibus suis subditis die vigesima
 septima ejusdem mensis inhibere com-
 pelle-

Sæc. XVII. pellebatur, ne cum perfida hac urbe,
 A. C. 1643. aliisque rebellium urbibus deinceps
 ullum foverent commercium.

§. LXXIV.

Ludovici XIII. Franciæ Regis
 obitus.

*Hist. de
 Louis XIV.
 Liv. I. t. I.
 pag. 4.*

Haud parum augebatur Henrietæ
 Angliæ Reginæ calamitas per fun-
 nestam mortem Fratris sui Ludovici
 XIII. Franciæ Regis. Hic Princeps
 erat gratiæ & naturæ beneficio, præ-
 claris dotibus, justitiæ amore, Reli-
 gionis studio, militari scientia animi-
 que fortitudine præditus: nonnisi octo
 annos & aliquot Menses natus Franciæ
 imperium moderari cæperat, semper
 quidem gloriosum, dummodo potissi-
 mam gloriæ partem non celsisset pri-
 mario suo Ministro, ac sibi duntaxat
 nudum Regis nomen reservasset: inde
 enim ortum traxerant intestinæ Proce-
 rum turbæ, assidua Regis curæ, in-
 quietissimi fluctuantis animi turbines,
 incertaque ejus consilia, ac denique
 immodica sui ipsius diffidentia, pro-
 pter quam seposita propria, quantum-
 vis saniore, sententia, illius, quem qui-
 dem non amabat, offendere tamen ti-
 mebat, consilia secutus est: Carpitur
 etiam ob fœdus cum Suecis, Batavis-
 que

que contra Catholicos a Protestantibus Sæc. XVII.
 oppressos initum: Tandem vero lenta A. C. 1643.
 tabe ejus viscera corrumpente, die no-
 na Maij sibi ultimum vitæ discrimen
 impendere sensit, quocirca, ut erat ad
 pietatem natus, inter pietatis exercitia
 mori voluit, ac præmissa præteritæ
 ætatis accusatione præprimis deplora-
 bat, quod aliorum impulsu Reginam
 Matrem suam durius habuerit, & cum
 Hispanis pacem inire distulerit: Fun-
 debantur per universam Galliam vota
 pro Regis incolumitate; sed jam debe-
 batur cælo, quo eum avolasse speratur
 die decima quarta Maij anno ætatis
 suæ quadragesimo secundo. Successer-
 rat ei Ludovicus XIV. sub tutela Re-
 ginæ Matris suæ, sub consilio tamen
 Gastonis Ducis Aurelianensis, & eo
 absente Condæi Principis, & Cardina-
 lis Mazarini.

§. LXXV.

*Decreta Synodi Tornacensis, &
Antverpiensis.*

Hoc item anno Maximilianus Villani Hartzh.
 a Gandavo Tornacensis Episcopus Conc. Germ.
 die vigesima prima Aprilis Synodum tom. 9.
 Diæcesanam celebravit, ibidemque Con-
 stitutiones Synodales ante biennium
 conditas in ordinem sub titulis redigi,
 ac

Sæc. XVII. ac promulgari iussit. Ex his præcipue
A.C. 1643. notandæ sunt sequentes. I. Parochi
 indicta etiam gravi pœna ad pueros in
 doctrina Christiana erudiendos admo-
 neantur, etsi non nisi unus duntaxat puer
 vel duo comparerent; quia diligentia
 Pastoris continuante, & Deo incremen-
 tum dante paulatim auditorum nume-
 rus aucturus esset: absentium vero no-
 mina Parochi notent, & Parentes in
 mittendis suis prolibus negligentes sæ-
 pius moneant, & refractarios apud Cu-
 riam denuntient. II. Parochi omnes
 in Sabbato & Profestis primas vespe-
 ras cantent. III. Filix in supplicatione
 festi Corporis Christi, & in aliis non
 induant superpellicea Clericalia, nec
 Virgines annum ætatis decimum octa-
 vum excedentes ad deferendos cereos
 eligantur. IV. Qui cum literis dimis-
 soriis ad aliam Diæcesin migrant, ad
 eandem reduces novam teneantur ha-
 bere facultatem excipiendi confessio-
 nes. V. Nec Jesuitæ sine scripta Epi-
 scopi licentia confessiones excipiant.
 VI. Monentur omnes Ecclesiastici, ut
 abstineant ab usu tabacci, maxime in
 publico seu consortio Laicorum sub
 pœna arbitraria. VII. Ad querelam,
 quod Jesuitæ audirent confessiones, &
 prædicent in Ecclesiis Parochialibus,
 quin approbationem ad instar aliorum
 religio-

religiosorum exhibeant, statutum est, *Sæc. XVII.*
 ut deinceps illam exhibere teneantur. *A. C. 1643.*

Die autem vigesima octava Augusti
 ejusdem anni Caspar Nemius Antver-
 piensis Episcopus suam habuit Synodum
 in qua inter alia præcipue sancitum.
 I. Ut Nutriciæ non suscipiant proles a-
 lendas, nisi confiterit eas esse baptiza-
 tas. II. Confessarii cum fœminis pro-
 lixius non colloquantur, nec eas ad fre-
 quenter sibi confitendum invitent, sed
 illæ eo confitendi intervallo, quod ple-
 rumque Monialibus præscribitur, con-
 tentæ sint. III. Qui amissa voce ne-
 quidem signum pœnitentiæ dare pos-
 sunt, absolvendi sint, si fidelium testi-
 monio constet, eos paulo ante Sacra-
 mentum pœnitentiæ petiisse. IV. Pa-
 rochi hæreticorum matrimonio non
 assistant, etsi alter tantum sit hæreti-
 cus. V. Nullus præsumat exorcizare
 maleficiatos, aut a dæmone obsessos
 sine speciali Episcopi commissione.

§. LXXVI.

*Petri Camporei & Octaviani Raggi
 Cardinalium obitus.*

Nonnisi duos ex Cardinalium Colle-
 gio hoc anno decessisse comperi-
 mus. Horum prior erat Petrus Cam-
 poreus patria Mutinensis, qui literis
 appri-

*Maracc.
 Purp. Rom.
 Ciacon. in
 vita Pauli V.*

Sæc. XVII. apprime imbutus, & Romæ in familiam Scipionis Cardinalis Burghesii admissus varias obibat Præfecturas, quibus cum tanta prudentiæ & integritatis laude functus est, ut a Paulo V. Curia Romanæ oraculum, & a Ferdinando Cæsare, & Philippo Hispaniarum Rege industriæ, & prudentiæ miraculum appellatus, ab eodem Pontifice Purpuram Romanam promeritus sit: Post Pauli V. obitum a Burghesianis in Sedis Apostolicæ Successorem designatus, ab aliis Cardinalibus palam rejiciebatur, uti supra memoravimus, quam tamen vexationem æquissimo tulit animo, jam dudum nec prosperis extolli, nec adversis dejici assuetus: Sedente vero Gregorio XV. Cremonensis Episcopus renuntiatus, Ecclesiam suam nunquam deseruit, sed omnia boni Pastoris officia exacte usque ad postremum vitæ diem adimplevit. Utebatur mensa admodum frugali, ab omni pompa alienus, quocirca ingentes conflagit divitias, quarum tamen haud exiguam partem in pauperes, & Ecclesias in honorem B. Virginis exornandas impendit: tandem vero nonagenarius Cremonæ die quarta Februarii decessit, in sua Cathedrali sepultus.

Vid. supra
l. 193. §. 44.
t. 57. p. 144.

Alter

Alter erat Octavianus Raggius Ge-^{Sæc. XVII.}
 nuensis Patritius, qui præter generis ^{A. C. 1643.}
 nobilitatem, ingentesque opes præci-
 pue animi candore, morum ingenui-
 tate, ac literarum præstantia excul-
 tus, Romæ Protonotarius, Cameræ
 Apostolicæ Clericus, utriusque Signa-
 turæ Judex, annonæ & Telonii Præ-
 ses renuntiabatur: cum autem Ur-
 bano VIII. hujus Viri virtus, dexter-
 itas, probitasque tam frequenti speci-
 mine comprobata esset, ab eodem non
 modo Purpuram, sed & prædivites
 Abbatias, ac demum Aleriensem in
 Corcyra Episcopatum obtinuit: mox
 autem relicta Romana urbe ad Eccle-
 siam suam contendit, ubi sublatis mo-
 rum corruptelis Clerum populumque
 verbo & exemplo ad meliorem vitæ nor-
 mam reduxit, pauperes profusa libera-
 litate sublevavit, suamque Cathedra-
 lem, ceterasque Ecclesias adornandas
 curavit: Demum vero a Papa Romam
 revocatus, vix salutato Pontifice, ab
 eoque benignissime inter amplexus, la-
 crimasque exceptus, acuta febre cor-
 ripitur, eodemque die & hora, qua
 hanc lucem primo aspexit, mortis te-
 nebris oppressus die decima tertia De-
 cembris obiit, annos natus quinquaginta & unum.

Hist. Eccles. Tom. LX. Aaa §. LXXVII.

Sæc. XVII.
A. C. 1643.

§. LXXVII.

*Quindecim Cardinales ab Urbano
VIII. creati.*

*Ciacon. in
vita Urban.
VIII.* Die decima tertia Julii Urbanus VIII.
Pontifex Maximus Cardinalium
Collegio viginti Præsules adscripserat,
ex quibus tamen, quinque in pectoris
sui scrinio reservatis, nonnisi quindecim
evulgavit, & horum quidem inter
Presbyteros Cardinales primus erat
Joannes Jacobus Panzirolus patria Romanus,
ex Patriarcha Constantinopolitano Cardinalis
S. Stephani in Monte Cælio, quem titulum
ab Innocentio X. obtinuit. II. Faustus Polus
Amasienfis Episcopus, & Cardinalis tit. S. Chryso-
sogoni. III. Lælius Falconerius patria Florentinus
Cardinalis tit. S. Mariæ de Populo. IV. Caspar
Mattheus Nobilis Romanus Athenarum Archiepiscopus,
& Cardinalis S. Pancratii, postea S. Cæcilie.
V. Cæsar Facchinetus patria Bononiensis,
Cardinalis tit. SS. quatuor Coronatorum. VI. Hieronymus
Grimaldus junior patria Genuensis, Cardinalis
tit. S. Eusebii. VII. Carolus Rossetus ex Angliæ Legato
Pontificio, seu potius Missionario Apostolico
Cardinalis Diaconus S. Cæsarii. VIII. Joannes
Baptista de Alteris Pres-

Presbyter Cardinalis S. Mariæ super ^{Sæc. XVII.}
 Minervam. IX. Marius Theodolus pa- ^{A. C. 1643.}
 tria Romanus Presbyter Cardinalis
 tit. S. Alexii, X. Franciscus Angelus
 Ropacciolus itidem Romanus Presby-
 ter Cardinalis tit. S. Mariæ in Via. XI.
 Franciscus Adrianus Ceva ex Legato
 Apostolico in Gallias decreto Presby-
 ter Cardinalis tit. S. Priscæ. XII. An-
 gelus Giorius Presbyter Cardinalis SS.
 Quiriaci & Julittæ. XIII. Vincentius
 Costagutus patria Genuensis ex Ferra-
 riensi Legato Cardinalis Diaconus S.
 Mariæ in Porticu. XIV. Joannes Ste-
 phanus Donghius Cardinalis Diaconus
 tit. S. Georgii in Velabro. XV. Paulus
 Æmilius Rondinus patria Romanus,
 Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Aquiro.

§. LXXVIII.

*Alii duo Cardinales ab eodem Ponti-
 fice Purpura decorati.*

Insuper duos Prælatos idem Pontifex ^{Ciacon, ibid.}
 die decima quarta Decembris Roma-
 na Purpura honorabat; ex his prior
 erat Joannes de Lugo ex Jesuita Car-
 dinalis tit. S. Stephani in monte Cælio.
 II. Achilles d'Estampes Gallus, Eques
 Ordinis S. Joannis Jerosolymitani, Car-
 dinalis Diaconus S. Hadriani.

A a a 2

§. LXXIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1643.

§. LXXIX.

Diversæ ejusdem Pontificis Constitutiones.

*Bullar.
magn. Ur-
ban. VIII.
Const. 297.*

Inter varias Constitutiones, quas Urbanus VIII. Pontifex hoc anno edit, duntaxat memoratu digniores adducemus, & primo quidem, cum Joannes de Solis Fratrum tertii Ordinis S. Francisci Procurator Generalis declarari peteret, an etiam in festo, ut vocant, Portiunculæ fideles in Ecclesiis quoque Fratrum tertii Ordinis Indulgentiam lucrari valeant, die decima tertia Januarii Pontifex affirmando respondit; quoniam vero Fratres Conventuales in eodem festo ad Ecclesiam S. Mariæ Angelorum decreta supplicatione accessissent, & non sine fidelium offensione partem eleemosynarum, quæ tum erogari solent, sibi vindicare niterentur, hinc reclamantibus Fratribus Minoribus de Observantia, Pontifex die vigesima secunda Martii declaravit, quod deinceps Conventuales nullum omnino jus in colligendis & percipiendis ejusmodi eleemosynis amplius habeant, sed hæ in commodum fabricæ Ecclesiæ, & usum Conventus Sanctæ Mariæ Angelorum reserventur. Præterea idem Papa die vigesima quarta Februarii de-

cidit,

cidit, quod in voto *de non procuranda* Sæc. XVII.
vel acceptanda majore dignitate extra Reli- A. C. 1643.
gionem nullus omnino præter summum
 Pontificem dispensare valeat. Quoniam
 vero Pontifex Breviarii Romani Hym-
 nos minus concinne compositos ad pu-
 rioris latinitatis, metrique leges ele-
 gantius revocaverat, hinc die vigesima
 septima Aprilis præcepit, ut in omni-
 bus omnino Ecclesiis Hymni ita emen-
 dati recitentur. Statuit quoque die
 decima Maij, ut festum S. Norberti
 die undecima Mensis Julii celebretur,
 Indulgentiam vero plenariam perpet-
 uam pro visitantibus Ecclesias Ordinis
 Præmonstratensis eodem die confessis,
 & Sacra Synaxi munitis indulfit. In-
 super die decima sexta Maij concessit,
 ut Josaphatus Archiepiscopus Polocen-
 sis Ord. Sancti Basilii Monachus & Mar-
 tyr, tanquam Beatus coli, & de eo in
 die ipsius Natalis duodecima Novem-
 bris Officium & Missa celebrari valeat.

§. LXXX.

Varia SS. Congregationum de-
cisiones.

Emergentibus variis dubiis Sacra *Decret.*
 Congregationes Romanæ sequenti *SS. Congr.*
 bus decretis satisfacere studuerunt, & *Concil. Rit.*
 quidem die septima Februarii Sacra *etc.*
 Concilii

A a a 3

cillii

Sæc. XVII. cili Congregatio decidit, quod consuetudo Canonorum recipiendi distributiones Matutinales, audiendo Concionem in Cathedrali in habitu Canonicali, non excuset in conscientia ab opere restituendi. Eadem Congregatio die vigesima prima Martii declaravit, quod Episcopo liceat punire Regulares, si qui indecentia vel prohibita in Ecclesiis suorum Ordinum circa Missæ sacrificium committant. Die autem decima octava Aprilis a Sacra Rituum Congregatione, approbante ipso Urbano Papa, declaratum, quod Communitates civitatum seu locorum non teneantur ex præcepto servare festa ex Voto earumdem indicta, eoquod sub præcepto duntaxat voventes teneantur. Decisum quoque die decima quarta Augusti a Congregatione S. Concilii, quod regulares, si sub Rosario palam Sacra Mysteria per exhortationes exponere velint, Ordinarii benedictionem petere teneantur: Episcopus quoque vel ejus Vicarius teneatur dare literas approbationis iis, qui fuerunt approbati ab Examinatoribus, ad confessiones, quamvis certus in conscientia credat, hujusmodi approbatos esse minus idoneos; quia ipsius non est reprobare approbatos.

Prohibentur etiam Regulares, ne Eucha-

Eucharistiam proprio arbitrio ad infirmos deferant: Dubitatum quoque fuit, an Episcopo prædicanti ex solito suggestu, sine Baldachino & in Mozetta & stola, Canonici & Dignitates assistere teneantur? Sacra igitur Rituum Congregatio die decima nona Decembris negando respondit, nisi quando Episcopus cum Pluviali & Mitra, ad præscriptum Cæremonialis Episcopalis prædicare voluerit.

Sæc. XVII.
A. C. 1643.

§. LXXXI.

*Joannis Vergeri San - Cyrani Ab-
batis obitus, ejusque opera.*

Jansenianæ Historiæ series deposcit, ut vitam, obitum, & opera Joannis Vergerii de Hauranne succincte exhibeamus, suspenso de ejus Orthodoxia judicio. Erat hic nobili genere Bajonæ ortus, ac primævo naturæ beneficio ad literas natus, quibus, ut ingenium suum magis excoleret, suadente Bertrando d'Escaux Bajonensi Episcopo, primum Parisios, demum Lovanium contendit, arcta familiaritate Justo Lipsio, ac postea Cornelio Jansenio junctus; unde evenit, quod Vergerius primarius Jansenismi author, parensque a Molinistis dicatur: Morabatur aliquamdiu Vergerius Parisiis, Janse-

*Sammarth.
Gall. Christ.
t. 4. p. 830.
Brice de-
script. de
Paris.*

Sæc. XVII. nio autem inde Bajonam profecto a
A. C. 1643. præfato Episcopo Cathedralis Ecclesiæ
 Canonicus renunciabatur, postea autem
 a Ludovico Rocheposeo Episcopo Picta-
 viensi Parisios denuo evocatus, atque
 ad Aulam invitatus, singularia erudi-
 tionis pietatisque specimina edidit: an-
 tum virtutis simulatio in fronte emi-
 cuerit, intus vero hæretica latuerit fal-
 lacia, sibi solis compertum credunt ejus
 adversarii; id tamen unanimi omnium
 consensu certum, quod ingentem vitæ
 austeritatem ac reformandæ Ecclesiæ
 Zelum præsetulerit, & totum sese evol-
 vendis Sacris Conciliis, & Patribus,
 ac revocandæ veteris disciplinæ Eccle-
 siasticæ antiquorumque Canonum stu-
 dio dicarit: Inde vero Vergerius tan-
 tam sui æstimationem sibi comparabat,
 ut procurante præfato Episcopo Abba-
 tiam Sancti Cyrani, quam Mater An-
 gelica Arnaldina Regi cesserat, obti-
 neret. Hoc dignitatis gradu tantopere
 creverat San-Cyrani fama, ut Berul-
 lus Cardinalis, S. Vincentius a Paulo,
 P. Gondrenus Oratorii Sacerdos, alii-
 que Viri pietate & scientia clarissimi
 cælestem doctrinam hauriendi aviditate
 animati consortium hujus Viri ambi-
 jicerent, præsertim Moniales, atque
 inter eas Religiosæ in Abbatia Portus
 Regii,

Regii, quarum potissimæ Vergerii do-
ctrinam eloquentiæ, verborumque pro-
fluvio, ac sublimioris asceseos specie

Sæc. XVII.
A. C. 1643.

velatam pro oraculo habebant: Cum
vero non idem omnium de Vergerii do-
ctrina sensus esset, & non pauci peri-
culosas novitates ab eo spargi crede-
rent, crebræ exin turbæ, rumores ac
querelæ oriebantur, quibus tandem
concitatus Cardinalis Richelius, insti-
gante P. Josepho Capuccino, Verge-
rium die decima quinta Maij anno hu-
jus Sæculi trigesimo octavo in Vicen-
nensem carcerem detrudi iussit: ut da-
tas offensiones elueret, & ad saniora
reverteretur, non autem, ut ipsemet

scripserat, *ut illuc vestigia S. Theresiæ, Epist. spirit.
ejusque de rebus Divinis doctrinam quam ep. 23. p. 179.
proxime sequi satageret. edit. I.* Hæsit in hoc

carcere annos ferme quinque, ubi epi-
stolas suas spirituales a quindecim Præ-
sulibus approbatas, & ab Arnaldo An-
dillyo editas conscripsit, tantamque pie-
tatis, ac sanctimonix speciem præse-
tulit, ut Joannes de Werth Bavarici
exercitus Bellidux, quem Richelius
Cardinalis a quadam magnifica comœ-
dia ad Vergerii carcerem conduxerat,
cuidam Episcopo, qui huic drammati
intererat, palam hæc dixisse feratur:
*nil magis mirandum in Gallis vidi, quam
Sanctos in carceribus, & Episcopos in
thea-*

Sæc. XVII. theatris. Tandem vero Vergerius post
A. C. 1643. Richelii Cardinalis obitum procurante

Chavignio Regiæ Curix Secretario, & Molano Præsede hoc anno libertati red-
 ditus est, octavo tamen post Mense die
 undecima Octobris, sexagesimo secun-
 do ætatis suæ anno apoplexia tactus
 recepto S. Viatico, & unctioe in ædi-
 bus suis decessit, sepultus in clauſtro
 Ecclesiæ ad Sanctum Jacobum, funebre
 Sacrum solemniter celebrante Cau-
 martino Ambianensi Episcopo.

Vid. supra
§. 20. p. 590.
§. 66.
pag. 711.

Scripsit Vergerius præter famosum
 illud opus *de jure Episcoporum* sub no-
 mine *Petrus Aurelius*, etiam *Theologiam*
familiarem, de utriusque hujus libri fa-
 tis paulo ante mentionem fecimus:
 Præterea epistolæ S. Augustini *de Vir-*
ginitate notas adjecit, in quibus tamen
 statum conjugalem contra Divi Pauli
 doctrinam 1. ad Corinthios cap. 7. v.
 32. 33. & 34. Virginali præferre, vo-
 taque nil ad Christianam perfectionem
 addere, nec ea, nisi pro imperfectis
 esse bona, asseruisse videtur: Suum no-
 men huic operi præfigere haud ausus,
 P. Claudium Seguenotium Oratorii Sa-
 cerdotem rogabat, ut nomen suum mu-
 tuum dare vellet (*): uterque tamen
 pro-

(*) Dupinus Hist. Sæcul. XVII. p. 190. cen-
 set, Patrem Seguenotium existisse harum an-
 notationum Authorem. Vide supra lib. 199.
 §. 82. pag. 281. & 286. Tom. 60.

propterea carceri fuit inclusus, hic Ba-
 stillæ, ille Vicennarum: liber vero a
 Sorbona damnatus est. Porro ex pri-
 mis Vergerii elucubrationibus erat
quæstio, seu *casus Regius*, in quo tamen
 suicidium commendasse redarguitur:
 ceterorum, quæ edidit, tituli sunt. I.
 Explanatio rituum Missæ II. Exer-
 citationes pro rite audienda Mis-
 sa. III. Cor novum. IV. Ritus pro
 suspendendo S. Sacramento. V. Consi-
 derationes Christianæ in Evangelia to-
 tius anni. VI. Epistolæ de dispositio-
 ne ad Sacerdotium. VII. Cogitatio-
 nes Christianæ circa paupertatem.
 VIII. Explicatio Mysteriorum in Eccle-
 siæ officio contentorum, & Meditationes
 Christianæ de morte præter plurimas
 epistolas iterato excusas.

§. LXXXII.

*Scriptores Ecclesiastici hoc anno
denati.*

Inter Scriptores Ecclesiasticos hoc an-
 no defunctos primum locum sibi ven-
 dicat Henricus Spondanus, qui Mal-
 leosolii in Vasconia ex Parentibus qui-
 dem Nobilibus, secta tamen Calvinia-
 nis natus, ipsum Henricum Borbonium,
 postea Franciæ Regem in Patrinum
 habuit: Jam a primis annis ingenium
 ad

*Nieeron.
Erud. not.
t. 8. p. 263.
Miræus
Script. Sæ-
cul. XVII.*

Sæc. XVII. ad omnes scientias aptum præsefererebat, ac literarum humaniorum curriculum Orthesii in Calviniano Gymnasio feliciter emensus, Græcum, & Scotticum idioma, necnon utriusque jurisprudentiæ scientias tam profunde exhausserat, ut Legationis Regiæ comes in Scotiam decerneretur, ac inde redux Turonii Caussidicum ageret; demum vero ab Henrico IV. Rege libellorum supplicum Magister renuntiatus, Theologiæ ac præprimis Polemicis Perronii & Bellarmini lucubrationibus tam sedulam navabat operam, ut agnitis sectæ suæ fallaciis ad exemplum Fratris sui Joannis, qui jam antea Calvinum ejuraverat, Parisiis anno ætatis vigesimo septimo, & Christi millesimo quingentesimo nonagesimo quinto die vigesima prima Septembris ad Ecclesiæ Catholicæ gremium reverteretur: Quinto post anno cum Surdisio Cardinale Romam proventus, cum Præconum suorum convitia, & mendacia adversus Papam, Cardinales & Ecclesiam a teneris sibi instillata contrario experimento detexisset, magis adhuc in vera fide firmabatur, ac sexto post anno Sacerdotio initiatus, atque a Paulo V. expediendis Sacræ Pœnitentiariæ literis adnotus, postmodum in Gallias reversus est, ubi a Ludovico XIII. ad Apamiensem Episco-

Episcoparum nominatus, hanc digni- Sæc. XVII.
 tatem non nisi ex Urbani VIII. Papæ A. C. 1643.
 mandato invitatus suscepit, ac die de-
 cima sexta Augusti a Cardinale Marque-
 montio Lugduni inauguratus est. Tum
 suam Diæcesin ab hæreticorum fæce
 expurgavit, erectisque Seminariis, at-
 que instituta Congregatione Ecclesia-
 stica pristinam Ecclesiæ disciplinam re-
 vocavit: Demum dignissimus hic Præ-
 sul, postquam per plurimos annos re-
 ditum suum ad Ecclesiam Catholicam
 ex vero Dei vocantis impulsu, & veri-
 tatis cognitione ortum fuisse, constanti
 vitæ suæ sanctimonia, & supremi Ca-
 pitis veneratione comprobatum reddi-
 derat, die decima octava Maij Tholosæ
 annos natus septuaginta quinque pie
 in Domino obiit.

Edidit primo librum de cæmeteriis Sa-
 cris, a quibus jure Protestantes excludi
 demonstrabat. II. Annales Ecclesiasticos
 Cæsaris Baronii in Epitomen redactos.
 III. Annales Sacros a mundi creatione
 ad ejusdem redemptionem. IV. An-
 naliū Baronii continuationem ab an-
 no 1197. quo hic desinit, usque ad an-
 num 1640. V. Constitutiones Sy-
 nodales.

Alter erat Joannes Jobertus de Ba-
 naut primo Vafatensis Episcopus, postea
 Arelatensis Archipræsul, qui librum
 sub

Sæc. XVII. sub titulo: *Clypeus fidei contra hæreticos*,
A. C. 1643. edidit. III. Marcellus Franckemius
 Klefelio Cardinali & Philippo IV. Hi-
 spaniarum Regi a secretis, qui fidem
 Bohemo - Palatinam, Achilem *πάνοπλον*,
 expeditionem Sicambro - Batavam ad
 fidem & veritatem antiquorum, Pæ-
 dagogum Hallensem, librum contra Gro-
 tium de jure belli, præter plura alia
 scripsit. IV. Petrus Clavarinus Ord.
 S. Benedicti Abbas, qui præter Musarum
 plausum Perusii excitatum edidit
 problema, *primone, an postremo genitus
 Patris amorem promereatur?* V. Secun-
 dus Lancellotus Ordinis Olivetani Ge-
 neralis, qui præter Ordinis sui Histo-
 riam vulgavit librum ita inscriptum:
Usus modernus, seu modernæ indoles.
 VI. Philippus Bastide Benedictinus ex
 Congregatione S. Mauri, qui scripsit
 dissertationem de Gallicana propagatio-
 ne Ordinis S. Benedicti, & suæ disser-
 tationis elucidationem contra Patrem
 le Cointe. VII. Raymundus Odo de
 la Motte ex eadem Congregatione præ-
 lo paratum habebat Martyrologium
 Franciæ, sed a Sussaio Tutellenfi Epi-
 scopo præventus, suam eidem æque ac
 Mabillonio in concinnandis actis San-
 ctorum conjunxit operam, hono-
 remque utrique cessit. VIII. Paulus
 Guldin Jesuita scripsit refutationem
 Elen-

Elenchi Calendarii Gregoriani præter **Sæc. XVII.**
problema Geographicum de discrepan- **A. C. 1643.**
tia in numero & demonstratione die-
rum. IX. Alvarus de Armanta ex eadem
societate edidit pactioem cum B.
Virgine, & contractum spiritualement
hominis cum Deo, necnon encomia Eu-
charistica. X. Josephus Augustin itidem
Jesuita sub nomine Decii Cyrilli
prælo subjecit notitiam eorum, quæ
scita sunt necessaria Confessariis præter
commentaria in primam partem D. Tho-
mæ. XI. Dominicus Gravina ex Ord.
FF. Prædicatorum, qui contra omnes
hæreses elegans opus decem tomis va-
stum de Catholicis Præscriptionibus
conscriptit: edidit quoque de Religioso
Statu opuscula sub titulo: *Vox turtu-
ris* præter confutationes Marci Antonii
de Dominis, & plusquam triginta alia
opuscula partim edita, partim prælo
parata. XII. Adrianus Cardinale ex
eodem Ordine, scripsit lectiones erudi-
tissimas in librum Judicum, præter va-
ria in Sacram Scripturam opuscula, &
volumen satis amplum Concionum di-
ctis Sanctorum Patrum egregie exorna-
tarum. XIII. Melchior de Soria To-
letani Archiepiscopi Coadjutor præter
plura alia tractatum de justificatione
vulgavit. XIV. Joannes Baptista Valen-
zuela Salmanticensis Episcopus posteri-
tati

Sæc. XVII tati reliquit vetera Hispaniæ monumen-
A. C. 1643. ta, & varia consilia.

§. LXXXIII.

*Ex Protestantibus Scriptores quidam
hoc anno fati fundi.*

Freher.

*Theatr. E-
rud. part. 1.
sect. 3.*

*Niceron. no-
tit. Erud.
t. 4. p. 99.*

*Mabillon. in
lib. de stud.
Monast.*


*Ep. Re-
monstr.*

pag. 473.

His addere lubet quosdam Protestan-
tes Scriptores, qui hoc anno mor-
tui quasdam lucubrationes posteris re-
liquere: horum primus est Philippus
Pareus, qui catechesin Religionis Chri-
stianæ, commentaria in Epistolas D.
Pauli ad Romanos, Ephesios & Phile-
monem, libros tres de Deo uno contra
Atheos, & Theologiam Symbolicam
de Sacramentis edidit. II. Georgius
Dasenius scripsit orationem sæcularẽ,
de annorum Jubilæorum origine, & de
cometa anni 1618. III. Simon Epi-
scopus præcipua sectæ Arminianæ co-
lumna, Vir acris quidem, turbidi ta-
men, & mordacis ingenii, quem in
Scepticismum, Socinianismum aliosque
errores ex immodica sectam suam diju-
dicandi libertate incidisse. referunt Cal-
vinistæ: redarguitur etiam, quod cum
magno ceterorum Prædicantium con-
temptu peccatum originale inter Armi-
nianos primus acriter impugnarit, &
Polyandrum Præconem acerbis his ver-
bis in quadam epistola deriserit: *Hæc
disputabat Polyander de Peccato originis.
Eheu! quam misere! vix dixerim, quam
multa*

multa à τὸ τοῦ & absurda responsa sint: Erant, Sæc. XVII.
qui dicerent, Theologiam animam agere, & A. C. 1643.
Peccato originali exequias fuisse factas; u-
num admiratione dignum est, quod cum tam
manifeste sæpe prematur, mirifice tamen sibi
placeat, neque magis sentiat, quam si Ele-
phanti corio tectus esset. Eapropter hujus
viri memoria Calvinistis oppido exosa
est, Mabillonius tamen de eo asserit,
quod si quædam loca in Episcopi Instit-
utionibus corrigerentur & contra Ca-
tholicos disputata tollerentur, utiliter
illæ ad studium Theologicum adhiberi
possent: Rumor quoque serpebat, quod
anno hujus sæculi decimo quinto Pari-
sios profectus, ad extirpandam Calvini
sectam cum Catholicis conspirarit. De-
cessit sexagenarius Amstellodami die
quarta Aprilis: Scripsit I. præfatas in-
situtiones Theologicas, in quibus
tamen asserere non dubitavit, dari
quosdam fidei articulos certos, &
omni tempore pro fundamentalibus ve-
ritatibus receptos, quin tamen eos cre-
dere ad salutem necesse sit, II. Edidit
conciones duas de caussis incredulita-
tis Judæorum. III. Quæstionem agita-
tam, an homini Christiano liceat Magi-
stratum gerere. IV. Responzionem ad
Patris Wadingi epistolas de Regula fidei,
& cultu Imaginum. V. Circulum Ponti-
ficum. VI. Responzionem ad decem di-
lemata cujusdam Pontificii Doctoris.
Hist. Eccles. Tom. LX. Bbb VII.

Sec. XVII. VII. Tractatum de libero arbitrio. VIII. Synodi
A. C. 1643. Dordracenæ crudelem iniquitatem præter plura
 alia ejusdem argumenti. IV. Joannes Steubergus,
 qui posteris reliquit dissertationes Theologicas
 de controversiis inter Lutheranos & Calvinistas,
 Theologiam moralem, & tractatum de tri-
 plici conscientia. V. Nicolaus Hunnius, cu-
 jus opera sunt, demonstratio Ministerii Luthe-
 rani, disquisitio Theologica de dissensu do-
 ctrinæ Lutheranae & Reformatæ, Capistrum
 contra Lancelotum, Innocentia Lutheranorum
 contra Authores libri de pacis composi-
 tione, & pellis ovina Romanæ Ecclesiæ de-
 tracta præter alia prælo indigna. VI. Samuel
 Petitus, qui varia de chronologia Judæorum,
 & de ritibus Veteris & novi Testamenti pu-
 blici juris fecit. VII. Andreas Kleslerus, qui
 prælo subjecit suam casuum conscientia Theo-
 logiam, methodum convertendi hæreticos,
 necnon bellum Religiosum Petri Apostoli &
 Papæ Romani, præter Diætam Christianam,
 aliaque opuscula contra Patrem Forerium.
 VIII. Joannes Kromayerus edidit Examen
 libri Christianæ Concordiæ, & Harmoniam
 Evangelistarum præter alia nullius omnino
 momenti opuscula. IX. Andreas Halwigius,
 qui suam ignorantiam nimis luculenter pate-
 fecit edito libro: cui titulus: *Anti - Christus
 Romanus in numero Apocalyptico DCLXI. pro-
 ditus*, edidit quoque carmen de homine Chri-
 stiano. X. Stephanus Stein vulgavit examen
 Confessionis Orthodoxæ de Persona & officio
 Christi contra Combachium. XI. Samuel War-
 dus edidit Magnetis reductorium Theologicum,
 suffragium collegiale de quinque articulis Re-
 monstrantium, Concionem de gratia discrimi-
 nante, commentaria in Mathæum, scriptum con-
 tra Hobbæum, pluraque alia opuscula
 Theologica.



INDEX